HYDRA MULIEBRIS, AB HERCULE MEDICO EXPUGNANDA, SIUE HYSTERICA...

Antonio Tattoni



HYDRA MVLIEBRIS,

AB HERCVLE MEDICO EXPVGNANDA;

SIVE HYSTERICA PASSIO,


Multis Symptomatum capitibus arietans,

Opera Excellentissimi, publici Medicinæ Professoris,

D. ANTONII TACTONII


Discussa, descripta, & publico iuri exposita.

Anno Redemptoris M. DC. XCVII.










A N C O N Æ,

Ex Typographia Camerali 1697. *Superiorum permissu.*



EMINENTISSIMO PRINCIPI, DOMINO

D. IOANNI NICOLAO DE COMITIBVS

EX DVCIBVS POLI,

ECCLESIÆ ROMANÆ CARDINALI DIGNISSIMO,

EPISCOPO SABINENSI, ET


Illustrissimæ Ciuitatis Anconæ Vigilantissimo Pastori,

COMITI HVMANÆ,

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO

Cum humillima deuotione

Longeuam corporis Sanitatem, animique tranquillitatem.





MOS fuit vetustissimus, EMINENTISSIME PRINCEPS, mactata animalia in victimas Dijs immolari, vt, ijs feliciter annuentibus, ho-

ſtium conatus opprimerentur, ac inde contra eoſdem referretur victoria. Homines virtute prȩditos, aſſȩrebat Antiſtenes referente Laertio, eos ſibi parare Propugnatores, qui & fortes ſint & iuſti: hinc deduco, multò validiore Defenſore meum egere tenuiſsimum ingeniolum, quo præſens opuſculũ, ſuum imbecillum fȩtum, tueatur ab ijs, qui & ſapientiſsimorum Virorum operibus detrahunt. Vt ab his immunis abeam, & præmunitus de ijſdem perennes referam triũphos, tutelare Numen exquiro, cuius patrocinium aucuper Eidem hanc, quam publicis typis expono, Hydram immolando.

Principes, Mundi Regimini cę-litùs electi, Terrarum Dij non ſine iure cenſentur, & dicuntur, cum diuino quodam afflatu, & ſupereminentibus virtutibus ſuffulti Regna, ac Imperia tractent. Ex horum claſſe de COMITIBVS Antiquiſsima Proles præcipua occupat ſubſellia, cum ab eius Stipite tot germinarint Eroes, & primùm Vniuerſo Christiano Cętui regendo Sacri Præſides, & Antiſtites, quorum rectiſsimæ fidei commiſſæ fuerunt Claues Regni Cœlorũ. Horum merita, ac geſta, gloria quæ digna ſunt ſempiternà, ſilentio potiùs, & ſincero animi affectu admirari volo, quàm impari prædicatio-

ne deuenuſtare. Horum veſtigia premens, quinimò magis ornans, EMINENTISSME PRINCEPS, vtique digna videtur EMINENTIA VESTRA, vt non tantùm Vrbem, verùm et, vt cum Marone canam,

Pacatumque regat patrijs Virtutibus Orbem.

Optatiſsimum, & pijſsimum ergo Numen inueni, cuius præcellentium Virtutum, & Sapientiæ incomparabili ſublimitati, ſummæ Humanitatis faſtigio, Purpurǽque ſacratiſsimæ concreditus nequaquã Aduerſariorum ictus formidabo. EMINENTIÆ VESTRÆ, Vigilantiſsime Paſtor, affluentique Munificentiæ, in me congeſtæ ante coccineos Pe-


des ſubmiſſo capite, flexiſque genibus hanc Hydram immolo, & voueo, inque Veſtræ gratiæ Templo, vt teſtimonium meæ deuotiſſimæ voluntatis firmiſsimum hunc appendo libellum, quem ſublimis Veſtra cum humanitate certans Eminẽtia, more donariorum in templis dedicatorum, non viliſsimo ſui prætio, quàm humillima offerentis deuotione, excipere dignetur, animo demiſſo precor. Datum Anconæ die Menſe 1697.

Eminentiæ Veſtræ

Subiectiſſimus
Antonius Tactonius.

COR-

CORDATO LECTORI, AC ÆQVO CENSORI.



Esß olim publicè Medicinam faciens, beneuole Lector, Trisancem hystericum, singultu, qui caninum referebat latratum, circumscriptum calamo descripsi, & inter rariores casus accensendum, publicis characteribus patulum fieri curaui, sicuti factum fuit. At quoniam vetustis hypothesibus ipsum superieceram, cum tunc temporis Recentiorum dogmata me laterent, hac postquam prælibarim, illum publicè exposuisse pænituit. Quare iam obseruans effatum, Recedant Vetera, Noua sint omnia, *alium non minoris attentionis casum in hoc Opusculo Recentiorum Scholarum principijs enucleandum, publicaq; Scenæ committendum fore libuit, Hydræ Muliebris nominali signatura iure merito præsignatum, cum hysterica Passio in sexu fæmineo sexcentarum ærumnarum, sic dictante Democrito, præstet penum, quarum vno truncato capite, non rarò multiplicia repullulant. Lernæ Paludis Hydram sagittis, ac igne ab Hercule Viro robustissimo, & satis industri mactatam fabulantur Poëtæ. In hoc Opusculo veram, non fictam, multiplici ærumnarũ capite Mulieribus insidiantem Hydram, ab Hercule Medico, chalybeis primum igne chemico ingeniosissimè temperandis sagittis interficiendam, expono. Venatoris munus Alcides egit, quando Lernæ Paludis belluam ad mactandum sibi curam præfixit, & contra eiusdem indolem, ac agendi mores arma construxit aptatissima, ea, quæ ipsam ad lædendum magis concitarent, omittens. Non dissimili iure Alcides Medicus, hanc Muliebrem Belluam interfecturus, eiusdem indolem, & lædendi modos prænoscere debet, vt inde ritè extructas seligat sagittas, quibus eandem, eiusq; in agendo feritates validè prosternat, vt ab ijs, quæ magis ad eius sanitiem concitandam faciunt, armis abstineat. In*

prima igitur huius Opusculi parte ea, quæ ad Hydra Mulieris, quam discutiendam excepi, indolis, pravorumq; morum notitiam captandam, ac artificiosam eandem interficiendi methodum spectant, edissero: in altera parte selectiores medelarum sagittas, & arma adversùs Hydram sedulò parabo: in postrema demum ea, quæ ad magis lædendam eandem concitare queunt, ut aufugiantur, & non prosequātur, renuendo proponam.

Te insuper, benignissime Lector, ulteriùs sciendi cupidum prænosco, qua de alia causa hanc Opellam lucubrarim, tuæq; iustæ, ac ingenuæ censuræ confidere voluerim? Mox ab hac te solvam curiositate. Non te fugit, in Arte nostra cavillandi, blaterandi, & medendi impetiginem eòusque processisse, ut ipsi Barbitonsores, Circulatores, fæmellæque dicaculæ Artificum opera, rectè, ac ritè consulta sæpissimè remorentur; hinc adhuc firmiter triumphat illud Zachiæ, Medicus, & Obstetrix, vel Chyrurgus sunt eiusdem dignitatis. *Simile quid contigit in Casu, quem in hac Opella discutiendum excepi, in quo non tantum plurium Medicorum adfuit dissensus, qui* Cæsarem perdidit, *verùm & suum sibi vendicarunt locum Agyrtæ, quorum suasu multa posthabita fuerunt, quæ methodi legibus sanè concinnata Illustrissimam Patientem aliàs sanitati restituerunt. Ut ergo, quicquid in Casu egerim, consulerim, & pro mea Illustrissima Domina ab Orci faucibus servanda aliquo fortassè iure renuerim, veris Facultatis Medicæ Professoribus late pateat, eorundem publico, & rigoroso examini subijcere visum fuit. Interim, scias, velim, amice Lector, me in hac Hydra excutienda non solam rationem, & experientiam in opem accersisse, sed & celeberrimorum Scriptorum doctrinis, & sententijs eandem exornasse, ut triplici armorum genere præcinctus meo marte loqui, meisque commentis fidere haud videar, & hinc inevitabiles cavillantium nugas aufugere pensitavi. Utque hic tenuis labor Proximo aliquā conferat utilitatem, varijs ipsum exornavi selectis, & summæ activitatis medelarum formulis Galenicè, & Chymicè diligentissimè extructis, tum facilis, tum laboriosioris structuræ, ut ubique locorum parabiles fiant, & ab Artificibus, etiam*

 Tyro-

Tyrenibus, ex his aliquot facilè pareantur. Tu interim, amice Lector, veritatem tuere, & , si quæ non sanè dixisse sibi videbor, ea amicè corriges, illius dicti memor, solius Dei est nec fallere, nec falli, Hominis è contrà, & fallere, & falli: Nec omnibus licet naturæ penetralia intimè attingere. Vale, meque, tibi omne bonum à Deo ter Maximo ex corde precantem, dilige.



H Y-

HYDRÆ MVLIEBRIS

Pars Prima,

Hysterici casus historiam, & resolutionem enucleans.

HISTORIA.



Llustrissima Domina N. N. quadragesimum nonum agens annum, habitus gracilescentis, & hinc calidiusculæ constitutionis, in statu Virginitatis catharralem sustulit fluxionem, ex qua restitit parùm luxata. Vigesimus secundus agitur annus, quo nupta Marito decies ab hinc peperit, & semel fuit abortita: in primo partu masculino ei fluor accessit muliebris, modò albus, modò flauus, modò viscidior, modò tenuior, leni tamen acredine ferè semper circumscriptus, qui ab eo tunc temporis, decoctis licèt exiccantibus se subiecerit, perennitatem induit, pergat hodie licèt ad interualla minori affluentia. Quartæ grauidationis tempore fuit in febrem lapsa, tertianæ duplicis incessanter affligentis indolem referentem, syncopticis affectibus comitatam, & ad binos menses productam. Decem ab hinc annis, postquàm femellam peperit, Patriam repetijt, ex quo itinere matricis procidentiam libauit, nec ab hac vnquam se extricauit. Septem ab hinc annis Anconā repetens ob Consanguineos in Patria relictos summo mœrore confecta lunari fuit apprehensa profluuio cum aborsus suspicione, ex quo appetitus deiectionem, virium lapsum, & in posterum irregularia menstrua reportauit, nec ab eo tunc vnquam sanè vixisse sibi videtur. Quinque circiter ab hinc annis, quo tempore horridus insæuit terræ tremor, vniuersæ Ciuitati sæuissimum inferens terrorem, & in quàmplurimis

varios excitans præter naturam affectus, diris totius ventris fuit correpta doloribus, ab infima vteri regione ad lumbos sese extendentibus cum eiusdem ventris, imò pectoris quadam intumescentia, animi deliquijs, pertinaci alui stypticitate, quæ nec pluries præscriptis clysteribus cederet: hoc ęrumnoso iure quindecim dierum interuallo diu vexata soluta demum euasit. Iidem dolores interuallatim hinc inde in posterum regerminarunt, & primùm instantibus menstruis purgationibus, quibus satis superque refluxis destiterunt semper, sicuti è contrà imminutè procedentibus sæuiùs afflixerunt cum aliqua ventris tensione, & borborigmis, notabili famis deiectione, & capitis doloribus. Anno proximè elapso ob Illustrissimi sui germani obitum magno, ac diutino męrore perculsa mense Augusti, & prope catameniorum refluxum à sæuissimis ventris doloribus denuo fuit aggressa, varijs concomitantibus motibus conuulsiuis, cordis oppressionibus, & ferè syncopticis passionibus in eclypsim abeuntibus, præcordiorum angustijs, respirandi labore, capitis, dextrę genæ, huiusque dentium doloribus, oculis caligantibus, nec non ad vomitum irritationibus, à quibus interuallatim sæpissimè retorquentibus decem dierum tractu, & copiosè menstruis refluis se soluit. Inde chalybeę tincturæ succo pomorū extractæ, & iurium magistralium vsu octo ferè mensium interstitio dies duxit tranquillos Aprilis, & Maij mensibus proximè decursis pręsentis anni 1696. bis ad plures dies à doloribus abdominis fuit inuasa, cōsuetoq; more completo lunari tributo euanuerūt. Illustrissima demū Patiens à Medico, præscriptum chalybeę tincturæ renouandum suadenti, non asciutans, eiq; mensibus sensim deficientibus Iulio proximè elapso sæpiùs ab ijsdem doloribus ab osse Sacro inchoantibus ad lumbos inde, ac vniuersum epigastrium, & hipogastrium, sæpeque ad ventriculum vsque cum ad vomendum proritationibus esporrectis tam spissiùs retorqueri cæpit, vt eodem Iulij mense, & subsequentis Augusti ad tempus vsque pręsens modò magis, modò minùs, modò ad correptiores, modò ad longiores horas, &

vt plurimùm de tertio in tertium, de quarto in quartum diē, rarò quotidie lancinarit; ac lancinent cum ventris torsione, crebris borborigmis, ac sæpe globulis in abdomine agitatis, cordis oppressione, pręcordiorum angustia, respirandi labore, ventriculi doloribus, nec non ad vomendum stimulis, aliquando cum dolore capitis, lenibus delirijs, motibus vertiginiosis, & cum his omnibus modò magis, modò leniùs vrgentibus. Hos imminentes cruciatus ferè semper præcedit quædam viscerum horripilatio, femorisque dextri leuis dolor, sæpe ad genus vsque exporrectus, ita vt, Illustrissima Patiens febrem metuat aut presentem, aut imminentē, quæ tamen semper abfuit. Multoties easdem percepit, ac percipit horripilationes, nullo alio deinde hysterico symptomate accedente. Inchoantibus doloribus Illustrissima Patiens abęstu quodam diuexatur inter lumbos, & os sacrum. Induit interim mea Illustrissima Patiens paulò maiorem carnosi habitus gracilitatem, visusq; pallidiorem tincturam, concepitque lyenis, & hepatis duritiem. Nullatenus à remittentibus suis symptomatibus in motu satis vegeta superesse obseruatur, & ad muliebria negotia domi faciunda satis prompta. Vt à suis immunis fiat ærumnis, iterum consilium petit, emunctæq; naris Medicos accersit.

AFFECTVS NOMEN, ET IDÆA.

EX meæ Illustrissimæ Dominæ ærumnarum Iliade sese offert Passio hysterica, spasmodicarum affectionum eandem contorquentium sæuissima parens, cuius curatione tollitur & ipse fluor muliebris, seu gonorrhæa: ideoq; de vterina passione, velut principali affectu agere satis erit. Affectus hic nomen arripit à verbo græco Hysteras, quod Vterum sonat, nempe à parte primariò affecta, ex qua plures eius causam deduxerunt. Fuit quoque dictus suffocatio, præfocatio, siue vteri strangulatio à sæuissimo symptomate, quicum sæpe procedit, ac torquet: hinc hystericæ, siue præfocatæ vocitantur fœminæ eodem laborantes.

rantes. Ab Helmontio indigitatur asthma vterinum, à Paracelso vteri caducus, sicuti in Viris suffocatio hypocondriaca. Apud Syluium suffocatio hypocondriaca æquè sonat in Viris, ac fœminis, cum ab eadem causa in vtrisque excitari pensitauerit.

Illustrissimæ Patientis hysterica Passio describi saniſſimè poterit, quòd sit membranarum, vel fibrarum membranearum, neruearum, in vtero primùm, & in abdomine consistentium motus spasmodicus, siue conuulsiuus, in medij, ac supremi ventris inde partes exporrectus, varia excitans accidentia, à succis acidò austeris, & acribus in neruosarum fibrillarum tubulos interuallatim affusis suas nanciscens natalia.

Descriptionis rationem formalem præbet motus spasmodicus, siue conuulsiuus, qui refertur ad symptomata motus deprauati, quo partes spasmis agitatæ non mouentur intra sani motus leges, & statuta. Hanc assertionem primò contestantur varia symptomata, passionem hystericam quæ comitari consueuerunt, abdominis, hypocondriorum tensio, flatuum murmur, & borborigmi, eorundem eructatio, dolores partium in historia recensitarum, & primùm in imo ventre percepti motus, & globuli, difficilis respiratio, præcordiorum angustiæ, oppressiones, aliaq; ibidem sigillatim enarrata, & inferiùs enucleanda, quæ maiorem hystericæ affectionis partem complent. Secundò huic affectui certiorem addit fidem lunare tributum, quo deficiente sæuiùs, vberiùs refluente, hic minùs affligit, & interdum omnino euanescit.

SVBIECTVM.

VT huius passionis subiectum distinctè elucescat, ipsum in triplex distinguam, in subiectum fomitem præstans, in id, in quo primò manifestantur eiusdem affectus, & in partes in consensum allectas. Ex hypothesi syluiana prius subie-

ſubiectum, quod cruori ſuccos acidòauſteros miniſtrat, ſeſe offert inteſtinum duodenum, vbi ex vitiata ſucci pancreatici cum bile fermentatione cauſam inueniunt, vt inferiùs demonſtrabitur. Hac labe non immunis cenſendus ventriculus, cuius fermentum deiectum non parum viſcidæ cruditatis exhibet, quæ in duodenum delabens prauè quoque fermentatur, & in flatus rareſcit. Subiectum, vbi primò hyſterica ſymptomata ſuam inchoant tragędiam, dubio procul vterus ſtatuendus, cum ab hoc viſcere dolores, ac lancinationes incipiant, & vnquem eo ſitu, quo oſſi ſacro incumbit. Partes tandem ſympatethicè afflictæ plures, ac plures accientur, quibus immediatè, aut mediatè vterus colligatur, abdomen cum inteſtinis, & hipocondrijs, ventriculus, thorax, cor, præcordia reliqua, & multoties cerebrum, qui conſenſus vt clariùs pateat, & eluceſcat modus, quo præcisè ab vtero ſucci ſtagnantes, prauèque fermentati ſuas inchoent vellicationes, aliorſum inde exporrectæ, non erit abs re aliquot de Vtero, eiuſq; cum vniuerſo corpore conſenſu, ac fermento hìc breuiter ſubnectere, quo iure rationes diagnoſticæ clariores, & diſtinctiores explicabuntur.

Vterus in humiliore abdominis regione ſitum obtinet, vbi oſſium ſacri, ilei, coxendicis, & pubis concurſu ea cauitas, quam peluim appellant, efformatur. Eius ſubſtantia membranea eſt, vt dilatari, & contrahi pro neceſſitate queat, plicis multis donata. Conſtat duplici membrana, communi, & propria; quarum prima duplicata oritur à peritonæo, altera internè vteri cauitatem efformat. Colli anteriore parte cum veſſicæ collo connectitur, poſteriore adhęret inteſtino recto, ſupernè reliqua inteſtina ipſi incumbunt. Ab vteri fundo iuxta eiuſdem cornua bina emergunt ligamenta latiora carneis fibris conſtantia, à muſculis lumborum exorta, quibuſcum oſſibus ilium hinc inde connectitur: his ligamentis tubæ cum teſtibus ſunt attenſæ. Ab eiuſdem vteri fundi lateribus duo alia ligamenta teretia, fibris carneis conflata, & ſecundùm longitudinem excauata protenduntur,

duntur, quæ non secus ac vasa spermatica virorum per processus perinæi, & tendines musculorum abdominis obliquè descendentium extra abdomen erumpunt, horumque portio versùs clytoridem excurrens in tenuissimam membranam versa sensim obliteratur, reliquum in membranam femoris interiorē ad vsque genu protensam absumitur. Teretia hæc ligamenta ductu aperto in vteri cauitatem inseruntur. Venarum, & arteriarum tubulos excipit vterus supernè à spermaticis, & hæmorroidalibus, infernè ab hipogastricis habet surculos, qui collum, & infimam eius partem perreptant, & cum vasis superioribus iunguntur, ita vt ex his in illas, & vicissim facilis sit humorum transitus, cum nullum occurrat valuularum impedimentum. Venæ vteri, vel potiùs tubuli membranacei habent oscula exilissima, quæ menstruorum tempore in vteri cauitatem aperiuntur. Habet vterus sua Lymphatica vasa, quæ euaporatum ab ipso serum in vessiculā chilosam ducunt. Ab ossis sacri neruorum paribus, & à sexta cerebri coniugatione complures feruntur ad vteri collum, nec non ad vteri partem inferiorem, pauciores ad partem superiorem. Ad testes à plexu mesenterij maximo fibræ insignes demandantur, & aliæ propagines à nerui intercostalis trunco, aliæque à neruo, qui inter hunc plexum, ac abdominis infimum intercedit, exeuntes conueniunt.

Supponendum secundò, vteri fermentum dari ingenitum indolis salinòsulphureæ in vterinis poris, ac plicis latens, cuius vi statis periodis excitato feruore vteri substantia rarescit, ac mollescit, sanguis attenuatur, laxantur tubulorum spiracula, & menstruorum excitatur effluuium. Præfato fermento sanè constituto hæc ritè absoluuntur: at si à natiua sua viuacitate, & actiuitate desciscat, in acidum vertitur, acerbum, austerum: hinc sanguis acido, & austero sale inquinatus figitur, coagulatur, & spirituum animaliū liberior sistitur motus, ex quo lunaria effluuia præconcepta crassitie, & stagnatione imminuūtur, aut prorsus detinentur, sanguinis fermentationes in corde deficiunt, paucior spirituum animalium generatio in cerebro renouatur: hinc lassitudo

tudo spontanea, oppressiones cordis, lypothimiæ, difficultas spirandi, constrictiones gulæ, suffocationis metus, & periculum ortum surripiunt. Acidi salis vellicantis praua cum spiritibus animalibus inita fermentatio spirituum animalium motus perturbat, spasmi exinde accersuntur, & membrorum contorsiones, deliria, clamores, eiulatus, aliaque horrenda mala excitantur, hystericarum passionum titulo insignita.

Hisce præmissis facile fiet colligere, quot modis in hysterica passione afficiatur vterus, velut viscus principaliter affectum. Laborat siquidem primò velut pars similaris, & mēbranosa suo prædita temperamento, quod in Illustrissima Domina, non potest fieri minus, quin in frigidius dehiscat, & primò ratione cruoris acidò austeri, hinc crassi, & terrei, & volatilibus particulis orbati, quo vteri substantia reficitur: secundò ob suum deprauatum, ac iners fermentum, cruorem in vterum deductum non satis volatilizans, imò præ aciditate austera eundem coagulans, quod omni procul dubio sanguinis frustula concreta pluries demonstrarunt, cum menstruis purgationibus excreta. Malè afficitur vterus vt pars organica, membranis, neruis, ligamentis, omniq; vasorum genere, suaque figura, & cauitate efformata, suisq; confinibus circumscripta, ductus vtriquæ à crassis succis obstruuntur, & à spasmis in actu hystericæ passionis comprimuntur, cæteræ vteri partes in spasmis hystericis contorquentur, & sic citra, & vltra proprij situs terminos vagantur. In soluta vnitate vterum culpari, sæuissimi dolores contestantur. Hæc omnia in sequentibus magis elucescent.

C A V S Æ.

HVius intricatissimi affectus causam Veteres deduxerunt ex vaporibus malignis, & venenosis, à sanguine, semine, alijsque humoribus in vtero corruptis, malignam, ac venenatam qualitatem concipientibus, qui deinde per arterias, venas, ac neruosum genus ad superiores partes eleuantur,

tur, vbi prout ad hanc, vel illam impetunt, diuersa symptomata, ac ipsius vteri adscensum excitant. Syluius ab hac doctrina parum recedens voluit, à succo pancreatico in tenue intestinum delato, ibidemque cum accedente bile, sale lixiuioso, oleo, ac spiritu volatili constante, blandam, ac naturæ circulanti amicam excitari pugnam, seu efferuescentiam, ex qua vitiata halitus, ac vapores austeros ad has, vel illas partes ferri, indeque omnia hæc symptomata in hystericis obuia oriri posse non dubitat in prax. medic. appendice tract. 7. §. 86. agens de affectu hipocondriaco, quem confundit, sicut & hodie alij quàmplures confundunt in mulieribus cum hysterica passione: Hæc scribit Syluius: *Supposita verò nunc, quam alibi nos satis probasse putamus, alimentorum in ventriculo fermentatione, & quidem à saliua præsertim tanquam fermento, vel fermenti fomite, promoueri solita, consideratisque, qua aliàs de saliua, & modò de pituita materia, & generatione protulimus, non puto, magnam me in Lectorem excitaturum admirationem, si dixero, vbi malè disposita est saliua, & hinc ventriculi fermentum, & pituita naturalis, ac præsertim, si exuperante spiritu acido peccet, aliter perfici, quàm priùs solebat, alimentorum fermentationem, atque partem eius fluidiorem citiùs, vti fieri aliàs solet, ad intestina defluentem, & quàm debebat, acidiorem redditam ad bilis affluentis occursum efferuescentiam excitare naturali maiorem, ac proinde eleuari simul halitus, & vapores &c.* Doctissimus Villis conuulsiuis affectibus hystericam passionem refert, ac inde causas deduxit in tract. de morbis conuulsiuis cap. 10. vbi in hæc prorupit: *His, alijsque rationibus persuasus in ea demum sententia sumus, quòd affectio dicta vterina præcipuè, ac primariò sit conuulsiua, atque à cerebro, & neruoso genere affectis potissimùm dependeat quicquid inordinationis, aut anomaliæ circa sanguinis motum contingit, tantùm secundariò, & dependenter à viscerum spasmis fiat.* Cartesij Asseclæ eandem deriuant à particulis salinòacribus, quæ cum spiritibus animalibus neruorum principia subingressæ, ac tandem per eorum

rum

rum ramificationes ad vteri tunicas, abdominisque partes membranosas delatæ fibras eorum nerueas cuspidibus spic pungunt, ac conuellunt, inordinatumque spiritibus animalibus motum conciliant, à quo conuulsiuo motu non tantùm abdominis nerueas partes, sed et plexus neruorum faucium conuelluntur, inde suffocatio, & color subliuidus faciei in hisce hystericis obseruantur. Medium tenuere Beati. Ego hystericarum passionum maximam causam in succos acròacidòausteros concipiendis efferuescentijs promptos plùsquàm libenter refero, qui ex praua succi pancreatici cum bile in intestinis fermentatione pronati, chylo, cruorique commixti, ac in menstruos latices traducti, in vtero præ mensium stagnatione in acròacidiores, & austeriores euecti, vteriq; fermentum eadem inficientes labe mille excitant turbas. Huic assertioni assentitur doctissimus Etmullerus tract. de passione hysterica, vbi sic ait: *Quod ergo attinet modum fiendi passionis hystericæ complicatissimus sanè est affectus, compositus nempe ex vitiosa in intestinis ab acido pancreatico cum succo bilioso efferuescentia, vnde copiosi admodum flatus, & eructationes proueniunt, à quo vitioso acido vlteriùs promoto etiam sanguinis coagulationes, & in præcordijs stagnationes oriuntur. His simul coniungitur deprauatus, & perturbatus spirituum animalium motus, primariò quidem in truncos neruorum intercostalis, & vagi, hinc consequenter etiam in reliquos neruos: vnde vertigines, & scotomiæ, varia deliria, spasmique insignes in partibus abdominis membranosis, intestinis, mesenterio, & similibus: item simul in partibus thoracis musculosis, & ipso adeo cordis musculo, vnde huius palpitatio, aut ex eius continuata ferè systole iste compressionis in corde sensus.*

Ex hoc acido vitioso, in quanto, & quali peccante passionem hystericam immediatè germinari multæ contendunt rationes. Et primò, vt sanè aduertit magnus Etmullerus loco cit. obseruantur scorbutica, & hipocondriaca subiecta vniuscuiusque sexus, in primis huic affectioni obnoxia, vnde & scorbuticæ mulieres, licèt lenia bibant purgantia, ex

 malo

malo tamen copiosiùs ad intestina acido pancreatico truso, præter acerba tormina, faciliùs incurrunt hystericas passiones, cuius ipsamet Illustrissima Patiens certissimam fidem præbet: ipsa siquidem ex quocunque etiam lenissimo cathartico, quinimo dosi minima præscripto pluries ab hisce passionibus horridè fuit apprehensa: bini prætereunt anni, ex eidem præscriptis cassiæ floribus ad vnciam semissem cum tartari cremore non tormina tantùm, sed & hysterica sæuissima accidentia vsque ad animi deliquium, & ferè pulsus eclypsationem successerunt, ex quo in suis curandis affectibus à cuiusuis soluentis præscripto in posterum abstinui. Consimilis sors afficit hic Anconæ Illustrissimam Marchionissam, quæ, quoties lenissimum licèt catharticum epotat, in ima primùm hipogastrij regione sæuis apprehenditur doloribus, ac inde præcordiorum anxietatibus, oppressionibus cum pulsu inæqualissimè commoto, & multoties apparenter abolito, cardialgicis pathematibus, crudis, croceis, porraceis, & oleaginosis vomitibus cum maxima flatuum supernè, ac infernè eructatione, visus decoloratione, ac tanto virium lapsu, vt nec manuum digitos sursum queat efferre. Hoc idem, sed remissius obseruaui in alia Illustrissima Domina.

2. In hisce affectibus acidum vitiosum non rarò ducit in apricum sanguis coagulatus per venam sectam extractus, ex cuius incrassati stagnatione in prę̨cordijs anxietates, asphixiæ, & syncopes non leuiter acerbantur. Huius coagulationis specimina mihi pluries exhibuere in Illustrissima Domina menstrui refluxus, quibus frustula grumosi sanguinis ex vtero reiecit.

3. In hisce passionibus non rarò à natura prouocantur vomitus æruginosi, porracei, acerbi, & consimilis vitriolicæ prosapiæ, prout accidit in Illustrissima Marchionissa mox super enarrata.

4. Dulcia, quæ facili fermentatione acescunt, & hinc copiosos exaltantur in flatus, hystericos excitant paroximos.

5. Experientia teste salina, & volatilia spirituosa, & oleosa

oleosa præcæteris huic affectui succurrunt, quatenus acidum vitiosum præcipitando corrigunt. Quare ingenuè fateor pro retundendis meæ Illustrissimæ Dominæ ærumnis maximè profecisse castoreum, asam fœtidam, myrrhata, & succinata, à quibus, quando cæco suasu abstinuit, in spissiores, ac ferè quotidianos paroxismos recidit hystericos.

6. Tandem hoc acidum pancreaticum vitiosum in Illustrissima Domina satis superque digito demonstrarunt, ac demonstrant flatus interdum ore, & aluo abundè eructati, & ex vitiosa succi pancreatici cum bile fermentatione eleuati, à quibus dolores, aliaque sua symptomata remiserunt semper.


An autem fermentum hoc acidòausterum in vtero tantùm Illustrissimæ Dominæ natalia inuenerit, an aliunde in vterum alliciatur, & fuerit traductum, hic offertur curiosa perquirendi occasio. Quantum mea fert speculatio acidi coagulantis excessum in Illustrissima Domina multò ante suam hystericam passionem suas firmasse radices, quinimo in statu Virginitatis suas coagulationes, ac stagnationes exercuisse multa suadent.

Et primò Coagulati, & in dorsalibus vertebris restagnantis seri defluxus, ex quo Illustrissima Patiens restitit luxata, clarum præbuit indicium serositatum, vndiq;, & ex vniuerso Patientis corpore, & non ab vtero, tunc temporis nulla noxa culpato, scaturientium.

2. Fluor, siue multicolor muliebris gonorrhæa, cuius succi in visceribus depuratorijs obstructis non satis à sanguine secreti, & ab acido coagulatiè massa cruoris tamdiu in vterum præcipitarunt, ac præcipitant, & ex eiusdem, ac vaginæ glandulis tam longo annorum itinere magna effluxerunt, & effluunt copia, certum præbet testimonium, eosdẽ à toto in Vterum deriuari.

3. Menstruorum profluuium, quod septem ab hinc annis, & ante omnes hystericas affectiones contigit Illustrissimæ Dominæ cum appetitus, & virium deiectione, potis fuit præ spirituum animalium dispendio viscerum coquentium,

ac



ac depurantium fermenta deijcere, hinc ſalium eſculentorum ad volatilitatem non exaltatorum, & in acorem euectorum colluuies in ſcęnam erupit, vnde acidum accreuit, ſanguini, & ſero craſſities, & viſciditas magis, ac magis acceſſit, fluidorum ſtagnationes, irregularis tandem, ac imminuta menſtruorum moles ſucceſſerunt, vt mirum videri haud debeat, ſi ipſamet Illuſtriſſima Patiens fateatur, ſe ab illo tunc temporis nequaquam ſanè vixiſſe.

4. Męſta, validaque animi pathemata, quibus diu fuit agitata, & horridus terror à terrę concuſſione perceptus magnas, ac impetuoſas in Ea concitarunt ſpirituum animalium diſtractiones, ac diſpendia, quorum volatili deficiente ſubſtantia ſanguis in cordis ſinu non ſatis efferueſcit, nec attenuatur, aciditatem, & craſſitiem induit, ſegni circulat greſſu, viſcerum fermenta deprimuntur, & hinc craſſorum ſuccorum aggerie congeſta non potuit fieri, quin fuerit iter apertum varijs ſtagnationibus, & obſtructionibus, tactui partim manifeſtis, partim in centralioribus locis ratione concipiendis, vnde ſanguinis impuritates excreuerunt, conſueta menſtruorum moles ſenſim defecit, & acor in vtero, vicinisque partibus reſtagnans ſecum ſpaſmodicas, & hyſtericas paſſiones accerſere cępit.

5. Potiore iure ab obitu tandem Illuſtriſſimi ſui Germani, quem ſummopere diligebat, Illuſtriſſima Patiens inceſſanti męrore confecta minùs in dies catamenijs repurgata auſterius acidum congeſſit, ex quo vitiosæ fermentationes ſpiſſiùs enatæ hyſtericis torturis ſpiſſius recluſerunt iter.

Ex pręaſſertis ſequitur, labem acidam in Illuſtriſſima Patiente non ab vtero ſua primaria duxiſſe natalia, ſed à depreſſis viſcerum coquentium, & depurantium fermentis, & acidum in vniuerſos fluidos inducentibus. Verum tamen eſt, ex fluidis circulantibus inductam aciditatem vteri fermento fuiſſe communicatam, vbi ex menſibus in dies magis, ac magis ſtagnantibus, & in acriores euectis reſtitit vterinum fermentum acida auſteritate magis corruptum, & ſaturum,

prom-

promptioreque fermentescendi facultate exornatum, itaut ex hoc mirum non fiat, si vitiosi sanguinis, & seri fermentatio pro concitandis hystericis insultibus ab vtero primùm inchoet, ac sua iactet rudimenta.

Ex his ruit assertio cuiusdam eximij Viri, qui in casu Illustrissimę Patientis firmè voluit, ventriculum sanè chylificare, cor ritè sanguificare, ac cętera viscera sanguineam massam à suis quisquilijs optimè depurare, fluida tamen, sanè licèt constituta, à solo vteri corrupto fermento, & in acidum vitiosum conuerso, perperam efferuescere, acidam labem excipere, & hinc vterum vellicando, & distorquendo in hystericas contorsiones eundem adigere. Hęc insuper labitur assertio ex eo, quòd in Illustrissimę Patientis casu nulla specialis causa procathartica de foris accesserit, aut accessisse constat, quę specifica energia vterinum fermentum corrumpendi cęterorum viscerum tum coquentium, tum depurantium fermenta reliquerit intacta. Prętерquã fas mihi sit credere ex indole tanti Viri, aliquam procatharticam causam extrinsecùs accessisse, & vteri fermentum acròacida labe primùm corrupisse, ac infecisse; ratio nullatenus exigit, vt labes hęc ope, & lege fluidorum ad vterum circulantium, & ab vtero redeuntium tam producta annorum serie cęteris sit affricata visceribus, horumque fermentis, & hinc vterus, ac cętera viscera perperam coquentia, ac depurantia mutuò sibimet ipsis vitiosos succos contribuant, atque communicent. Hisce rationabiliter inspectis non currit suus syllogizandi modus, Ventriculus non dolet, ergo sanum conficit chylum, cor bene sanguificat, cętera viscera sanissimè depurant, & tantùm vteri fermentum est corruptum, cum etiam omni absente dolore ventriculus à suo chylificandi munere non raro deflectat, & omni absente dolore alia quàmplurima dentur indicia, ventriculum perperam chylificantem attestantia, appetitus deiectio, ructus acidi, amari, flatuosi, vomitus, & sexcenta alia. Dixit, cor sanè sanguificare, & cętera depurantia viscera rectè proprium explere munus, at non probauit. Dixit, vterinum fer-

fermentum solum esse corruptum, sed corruptionis causam reticuit. Nec satis est, ex chronica gonorrhæa, aut vteri fluore primariam vteri labem exhaurire pro hystericis symptomatibus resoluendis, cum hic vetustus affectus tot annorum curriculo nequaquam secum traxerit hystericas passiones, quousque in mea hysterica Patiente menses mole, tempore, & iustis fluendi modis processerunt: his autem à sana quantitate, debito tempore, & iusto fluendi modo aberrantibus hystericę passiones in scęnam erumpere cęperunt, quæ, si quando hoc lunare tributũ vberiùs, & sanius hactenus refluxit, aut satis remiserunt, aut destiterunt omnino. Fluor, siue gonorrhæa muliebris incessanter ferè fluxit, & fluit duobus, & viginti ab hinc annis, nec vllam traxit, aut trahit in vtero moram, qua tamdiu stagnans tanta fætus fiat acredine, qua satis sit vellicando hasce hystericas affectiones excitare, quinimo in vterum ipsum inflammationes, excoriationes, & vlcera insculpere, prout præfatus eximius Vir sibi falsò persuaserat, & somniarat, cuius falsitatis certissimã exhibuit fidem tum absentia Signorum eosdem morbos cõtestãtium, tum Excellẽtissimus, & peritissimus Dominus Odoardus Ciaccius, huius Illustrissimæ Ciuitatis Anconę Chirurgię publicus, ac merentissimus Professor. Ex his quoque deducitur, præfatum fluorem, seu gonorrhęam ab internis ortum habuisse causis, ex confluxu nimirum prauorum succorum, in visceribus malè elaboratorum, & è cruoris massa in vterum, & vteri glandulas præcipitatorum, nec vllius suspectę, & venefica luis ab extrinseco aduenientis sobolẽ iudicandam esse, quo iure, si venefico contactu fuisset contracta, tot annorum cursu vterum, ouaria, ac vasa pręparantia mordendo comedisset, & non tantùm vlceribus affecisset. Hoc idem confirmat ad concipiendum promptitudo, qua toties Illustrissima *Patiens* concepit, quod difficilè euenisset, si ab vtero intemperato, aut aliàs in longum affecto fluor suam causam surrepisset, sed de hoc meliùs in tertia huius Hydrę parte.

Iam tempus est, vt, quò discessi, reuertar in huius hydræ causas

ſas recenſendas, ac vlteriùs enodandas. Firmiter ergo credendum, hoc acidum acròauſterum primarias ſuas iecìſſe radices in aceſcente, & vitiata ventriculi coctione, & inteſtini duodeni perperam inde pergente fermentatione exaltatum, quod cum chylo ſanguini, & ſero diſtributum, ac in vterum deriuatum cum huius vitiato fermento in luctam emergens tot tantaſq; concitauit, & concitat ærumnas. Vt eximius, & ſupra prælaudatus Vir non mihi, ſed doctiſſimo Etmullero credat, eiuſdem loc. cit. verbis, ac dictis porrigat aures, ſic enim ait. *Eſt ergo reuera paſſio hyſterica dicta; ſeu vterina ſpecies mali hipocondriaci grauioris; oriundi tùm ex vitio ſtomachi, quod ſæpiùs adiunctum eſt, quàm in ſpecie ex vitiata lympha pancreatica.* Huis aſſertionis tutos ſeſe præbent teſtes in caſu Illuſtriſſimæ Patientis, appetitus deiectiones, ventriculi dolores in actu tormentorum hyſtericorum, & non raró flatuum ſupernæ, & infernæ eructationes, à quibus leuamen percipitur. His adde mucoſa, & viſcida, clyſterium vſu quandoque per aluum excreta, quæ cuncta germina videntur eſſe ventriculi imminutè chilificantis.

Sed multò certiorem fidem exhibent cauſæ mediatæ remotiores, animi mæſta pathemata, terrores, & vteri profluuium recenſita, quæ cruoris volatilem ſubſtantiam ſuffurando, ac viſcerum fermenta ſupprimendo, ſpiritibuſq; animalibus varias athaxias, motuumque irregularitates, ac diſpendium inferendo latiſſimos acido coagulanti, & perperam efferueſcenti reſerarunt fores, prout vberiùs fuit aſſertum.

DIAGNOSIS.

Ex hiſce præiactis non arduum erit Illuſtriſſimæ Patientis hyſterica ſymptomata ad præaſſertum ſuccum acròacidòauſterum, à toto primò ſuggeſtum, ac inde in vtero magis exaltatum, velut ad cauſam genuinam referre eo ordine, quo in hiſtoria recenſita fuere.

Et primò tria ſunt ſymptomata, quæ ſemper haſce hyſtericas affectiones præeunt, lenis internorum viſcerum horripilatio,

 dextri

dextri femoris dolor ad vſque genu productus, ac æſtus notatu dignus, ab oſſe ſacro ad lumbos extenſus, qui feruidior factus totius tragediæ tractu pergit, ac perſentitur.

Pro hiſce præludijs exarandis fas mihi ſit philoſophando ſupponere, vitioſam fermentationem in caſu Illuſtriſſimæ Patientis leniter inchoare in illa vteri parte, vbi lato ligamento ilium oſſi, & neruis ab oſſe ſacro ſuſceptis eidem vterus adnectitur, ſicuti reuera locus, quem occupat perceptus æſtus, ac inde inchoans ſæuus dolor digito demonſtrat. Inita hac leni fermentatione halitus acidoauſteri à ſanguine, & ichoribus vitioſis, & vitioſe fermentatis promouentur, qui tum per vaſa reuehentia, tum etiam per ductus nerueos à ramo intercoſtali deductos in viſcera intra abdominis hipogaſtriam, & epigaſtriam regiones perreptantes, eorumdem membranis, fibriſque ſenſilibus tremulum horpilationis ſenſum inferunt leniter vellicando.

Vitioſa pergante fermentatione, & mox acrioribus halitibus ſolutis vellicata ligamenta teretia in ſpaſmos aguntur, hinc nimiùm contracta eorundem extremitate, quæ in interiorem femoris membranam abit, dolor primùm in eadem femoris parte manifeſtatur rectà ad vſque genu exporrectus, quò eadem deſinit membrana.

Magis, ac magis efferata ebullientium ſuccorum fermentatione in vteri vaſis, ac tubulis, quibus oſſi ſacro ad lumbos vſque vterus reſpondet, cruoriſq; particularum motu perniciter perturbato æſtus ſeſe pandit, ac ſæuiùs procedit, quòuſque vitioſa remittat fermentatio, ac inde cætera ſymptomata euaneſcant.

Poſt hæc triſtia nuncia mox peius ſequitur ſymptomatum ſatellitium, ab acrioribus aculeis acceſſitum. Et primùm neruis, quibus vterus oſſi ſacro iungitur, vellicatis, ac in ſpaſmos actis, & cum his eadem vteri parte ſpaſmodicè commota, dolor ſæuiſſimus ibidem loci fixus prima iacit fundamenta: hinc vtrique lumborum lateri per concitata ligamenta ſuperiora, à muſculis lumborum exorta, totique peritonæo, vnde irritatus vterus ſuam duplicatam, & communem arripit

G mem-

membranam, mox communicatur dolor, & spasmus, quem satis adiuuant nerui perciti, quos vterus, vterique testes, & collum à sexta trahunt cerebri coniugatione; à plexu mesenterij maximo, trunco nerui intercostalis, & neruo, qui inter hunc plexum, & infimum abdominis intercedit, à quibus simul percitis, & in spasmos ab vtero se conuellente distractis abdominis pendent tensio, intestinorum sursum contorsiones, flatuumq; intra eorundem cauitates contentorum commotio, collisio, & hinc rugitus, & borborigmi. A flatibus eruptis leuamen excipitur, tensione ab eructatis flatibus remittente.

A præfatis neruorum plexibus sursum, & ad latera agitatis tanguntur interdum duo globuli, huc illuc per abdomen excurrentes.

Vtero sic lancinato, & distento insurgit creber mingendi pruritus, nullatenus mingere nequit Illustrissima Patiens ob vteri ceruicem protensam, vesiceq; vrinariæ sphincterem vnà, & eodem tempore irritantem, & occludentem.

Ventriculus aliquando dolet, & ad vomitus proritatur à neruis stomaticis sextæ coniugationis in spasmos irritatis, eiusque fundum sursum contrahentibus, quibuscum vterus consentit ope neruorum, quos ab eadem suscipit coniugatione. An autem bina hæc symptomata ex acidis halitibus, ab intestino duodeno sursum per pylorum in ventriculum perreptantibus, an à spiritibus animalibus, ab vtero copula explosiua suscepta, neruos conuellentibus originem capessant; vtrumque probabile videtur, cum promptum sit, ab intestino duodeno breuissimo itinere hosce halitus ex concursu succi pancreatici, & biliosi perperam fermentatorum eleuatos in ventriculum irrumpere, sicuti & ipsi flatus interdum ore eructati testantur; parique penso ex conuulsis neruis vterinis, quibus consentiunt vterus, & ventriculus, facile fiat, ventriculum concuti, & conuelli.

A' sanguine praue fermentato alimentum ventriculo suppeditatur, quo iure ex hoc nutritio succo ventriculi fermẽtum iners reficitur, & à suo blando vellicandi more desle-

ctit, ex quo appetitus deiectio suam arripit anxam.

Infimo ventre inuaso Insensissimus hic Hostis in mediam, ac vitalem prouinciam aggrediendam maxima, qua pollet celeritate, pedes vrget, vbi varia concitat bella, & contentiones, præcordiorum angustias, anhelitus laborem, thoracis intumescentiam, cordis oppressiones cum pulsu ferè eclypsato, quorum phænomenon rationes inquirere ex præassersta hypothesi non arduum erit.

Ex abdomine, & intestinis sursum præ spasmo reuulsis sursum pellitur diaphragma, musculique intercostales à neruis percitis tensi suorum motuum expansiones nequeunt liberè perficere, hinc respirandi labor, & præcordiorum angustia.

Non raro ex vberrimo, & impetuoso spirituum animalium affluxu thoracis partes cum suis neruis, ac fibris valdè tenduntur, præsertim abdomine, ac intestinis eodem temporis instanti sursum contractis, hinc thorax veluti inflatus, & tumens percipitur.

Ob præcordiorum angustiam, & ob sanguinem particulis acidòaustetis in pulmonum vasis, & cordis thalamis stagnãtem cor liberè suum sinistrum sinũ diastole, ac systole vrgere nequit, ex quo eiusdẽ oritur oppressio, & pulsuum quasi syncopizantium defectus.

Aculeatus hic tandem hostis spiritibus animalibus copulam injiciens explosiuam supremam Palladis arcem aliquando inuadit, dolores, deliria, & vertigines ibidem excitando.

Spiritus vtique animales nimio elatere imbuti ex plexibus nerueis in imo, ac ventre medio sitis motu anomalo, & impetuoso in cerebrum retorquentur, vbi acidis aculeis fęti cerebri meuinges vellicando earundem vnitatem seiungunt, & dolores accersunt, cæteriq; spiritus cerebri incolas prauæ effervescentiæ concepto motu turbando, ac in cerebro insculpta phantasmata confundendo, nouaq; efformando delitia concitant: recto demum suorum influxuum itinere aberrando in orbem vnà agitantur, quomodo vertiginosis rotationibus viam sternunt.

Omnia

Omnia hæc ſymptomata paroxiſmis recurrentia nunc longiore, nunc breuiore tempore pergunt, nunc tardiùs, nunc frequentiùs inuadunt pro materiæ acròauſterę copia, quæ nunc citiùs, nuuc tardiùs in vteri vaſis, & meatibus ſtagnat, nunc citiùs, nunc tardiùs fermentatur, & fermentata diſcutitur. Habent vtique huiuſmodi cauſę in corpore humano ſua digeſtionis, ac exaltationis tempora, quæ vbi attigerunt, ſubitò, & quaſi in momento ad agendum eruinpunt; probabile tamen eſt, binis ab hinc menſibus in Illuſtriſſima Patiente haſce ærumnas crebriùs incedere, & ad longiores horas ſuos paroxiſmos producere ex vberiore, & longiore lunaris efflumij ſtagnatione.

Nulla demum ex dictis contingat admiratio, quòd Illuſtriſſima Patiens ex prauè fermentato, & craſſo ſanguine, partium carnoſarum reficiendarum porulis adhærendo non ſatis apto, & coccinea tinctura ſatis egeno, in graciliorem, ac decoloratiorem habitum abierit, & inſuper in lyenari, & hepatis regione durum infarctum tactui repreſentet, genuinũ obſtructionum characterem, quas in glandulis, & ductibus centralioribus latere, pluſquàm certo deducitur ab acidòauſtero coagulante, in fluida, ac viſcera vberrimè introducto, & ſuffuſo.

Ad eaſdem cauſas cætera, quæ hanc in his, aut in illis comitari conſueuerũt paſſionem, facilè referri queunt, faucium ſtrangulatio, & bolus, qui quaſi faucibus hæret, aut anguſtia quædam, qua mulieres quaſi à fuſte in æſophagum intruſo ſuffocari, & obſtringi ſibi videntur, & hinc aphonia: Adde pandiculationes, cardialgias, motum, & ſenſũ, nunc in totum, nunc ex parte ſublatum, conuulſiones epilepticas perceptas in hipocondrijs pulſationes, pallorem, extremorum frigus notabile: prætcrea mox præter modũ amant, mox ſummo proſequuntur odio, nunc timent, nunc iraſcuntur, ab omni gaudio abhorrent, deſperant, multaq; alia patiuntur, quæ tamen non in omnibus omnia, ſed in his plura, in alijs pauciora, in alijs grauiora, in nonnullis adſunt mitiora, prout in his, vel illis nerueis plexibus, ac fibrillis

brillis succo neruco commixtæ acres particulæ stagnare, & regurgitare primò incipiũt, acideq; exhalationes, ac vapores in cerebro, alijsq; partibus variè commouentur, exagitant, tendunt, aut prauam in fluidis inducunt fermentationem.

PROGNOSIS.

HVius affectionis euentus, si spectetur eius ratio formalis, dubius censetur, cumquamplures è medio tollant, in multis licèt facilis sit accessus, & resolutionis. Ratione causæ, acròacida austeritate præscriptæ, tamdiu restagnantis, & in inclinante ætate luxuriantis difficilem eradicationem præsefert. Sin magna symptomatum, quibus stipatur, cohors; ac viscera, quæ torquet, nobiliora inspiciantur, non leue vitæ discrimen inuoluit, læditur vtique in Illustrissima Domina vitæ solium, eclypsin multoties experiens cum præcordiorum angustia, & respirandi labore, ex quo perfectæ syncopis, & suffocationis imminet discrimen, si quando hę læsiones vltra modos violenter retorqueant. Noxas suas libat Palladis Arx, cui superesse queunt graues epilepsiæ, paralyses, apoplexiæ, alijque grauissimi affectus, vniuersam animalem œconomiam ad euertendam apti nati.

Euentus tempus contumaci diuturnitate circumscribitur, experientia teste, cum altas suas hic formidabilis hostis in Illustrissima Patiente validas firmauerit columnas: adde quòd in maturiore contingat ætate, mensibus iam proximè discessuris, quorum effluuium in Mulieribus acidòaustéri succi commodè, & vtiliter expurgantur. *Circa cessationem menstruorum naturalem*; scripsit Prinsitosius referente Boneto thesau. medic. practici lib. V. cap. 21. sub num. 24. *anno scilicet quinquagesimo, vel quadragesimo quinto, vel cessat prorsus, vel ingrauescens vix vnquam curatur, Vires enim debiliores sunt, & augetur cacochimia.*

Si euentus modus perpendatur, vtique dubio vertitur. Quando in malum vergit affectus, obitum minatur, fortem concitando epilepsiam, apoplexiam, paralysim, aut syncopem:

pem; quando in bonum pergit, soluitur suis correctis, & discussis causis, qua spe fræta hilari viuat animo Illustrissima Patiens, cum adhuc catameniorum effluxus beneficio fruatur, cuius, & remediorum ope, quibus aliàs ab hisce euasit ærumnis, nunc quoque ipsam euasuram confido; ideoque festinanter ad therapæiam, & materierum selectum describendum calamum vrgeo.

THERAPEVTICVS PROCESSVS.

CVratio suis adhęret indicationibus. Emulgens, quę vrget in paroxismis, efferorum spirituum motus inhibendos imperat. Pręseruatiua acidi correctionem expetit. Vitalis viribus sustinendis sedulam suggerit operam. Spasmodicas affectiones reprimunt ea omnia, quę spiritus animales extra sua pomeria vagantes iterum in ordinem pristinum restituũt, in quem finem (sicuti hactenus sedandis doloribus, cęterisq: hystericis pathematibus sistendis, aut saltem in breuiores tractus corripiendis vtilia fuere) balsamica commendantur neruea, hysterica, anticolica, absorbentia, & anodina.

Et primùm in paroxismo conueniunt odorata tum grauè olētia naribus applicanda, tum in sinum muliebrem intrudenda suauè olentia: hìc tamen inspicienda offertur idiosyncrasia, plures enim mulieres à suauibus non offenduntur, verùm grauè olentia haud patiũtur. Naribus igitur applicantur spiritus salis armeniaci, cornu ceruini, aut alius vrinosus cum castoreo destillatus, suffitus succini, nucis moschatę, ex plumis auium combustis, in primis perdicum pennis, & animalium cornibus concrematis: vtiliter naribus admouentur castoreum, & asa fętida, & si vrget animi deliquium, cum vino generoso infusa. Vtero intruduntur pessaria ex suauè olentibus concinnata, balsamo apoplectico, nuce moschata, & similibus inuncta: suffitus item ex verrucis equorum mirabilis censetur, & hoc iure parari poterit:

℞. verruc. equorũ vnc. i. aſę fętidę, vngulę capré ã. dracm. ij. Miſcè, & fiat puluis, cuius ſcrupulus vnus incenſus dat fumum per infundibulum in vterum ſuſcipiendum. Vellicatio pilorum in pube, quin & fortis ligatura in regione hipocondriorum, quocunque cingulo, & primùm ex corio humano fęminino, aut cerui in coitu interempti extructo vtilis valde cenſetur. Vmbilico varia inunguntur, & imponuntur, oleum ruthaceum, anethinum, laurinum, caſtorei, ſuccini, tartari fętidum, ligni guaiaci, ſpicæ, camphora oleo amigd. dulc. ſoluta, & ſimilia: vnguentum ex ſclaręa, in butyro cocta cũ gummi tacamahacę, emplaſtrum galbani corio rotundo inductum, cui addunt alij gummi tacamahacę, alij caſtoreum, picem, cuius medio recondunt aliquot grana zibethi, ita vt zibethũ exactè vmbilico imponatur, & hinc forti ligatura emplaſtrũ ſupra vmbilicum firmetur. Inunctio ſic parari poterit:

℞. olei caſtorei dracm. ij. ſuccini deſtillati dracm. i.
Spicę dracm. .s. Camphorę,
vel huius olei gr. vel gut. v. fiat linimentum.

℞. gũmi galbani, aceto ad pultis conſiſtentiam ſoluti vnc. iij.
caſtorei extract. croci ã. dracm. iij.
olei deſtill. ſuccini, ſpicę ã. dracm. i. .s. miſce & fiat emplaſtrum, de quo inducatur q. ſ. ſuper alutem in forma rotunda. Nunc veniunt clyſmata, inprimis ex carminantibus concinnanda:

℞. radic. angelicę dracm. vi. fœniculi vnc. s.
ſem. 4. calidorum mai. ã dr. i. coquantur in. s. q. aquę cõm. addendo colaturę vncijs nouẽ elect. de baccis lauri dr. vi. caſtorei dracm. .s. ad i. ol. deſtill. cumini, carui, ſuccini ã. ſcrup. .s. miſce pro clyſmate; cui loco oleorum ſtillatitiorum addi queunt ſalia volatilia ad ſcrup. i. vrinę, cornu ceruini, ſuccini, & ſimilium. Hùc quoque faciunt clyſteres terebinthinati, cum terebinthina prędita ſit egregio, balſamico, & oleoſo ſale, matrici, & inteſtinis gratiſſimo.

Externis in paroxiſmo interna ſimul adiungenda, nempe penetrantia, & volatilia oleoſa ſpirituoſa, ſpiritus ſalis armo-

niaci,

niaci, cornu ceruini, liquor cornu cerui succinatus, & similes à gut. xv. ad xxx. cum appropriato vehiculo. Prodest item sal volatile succini à gr. v. ad viij. aut xij in aqua hyrundinum cum castoreo per os propinatum. Prodest essentia succini cũ spiritu vini rectificatissimo parata à dracm. s. ad dracm. 1. oleum succini ad aliquot guttulas cum conuenienti liquore propinatum. Palmam eripiunt in acido vitioso, eiusque sedandis efferuescentijs castoreum, & asa fętida, oleositate salina imbuta: propinantur in forma pulueris, boli, aut aliter concinnata, quò pertinent essentia castorei spiritu vini parata, & multò meliùs eadem essentia spiritu vini, aliquo sale volatili, vel spiritu salino volatili oleoso, imò & ipso liquore C. C. succinato imbuto parari poterit. Infusum castorei cum salibus volatilibus summopere commendandum. Huc spectat specificum hystericum ex castoreo, asa fętida, myrrha, & pauco croco per spiritum vini tartarizatum extructum, quibus ijsdem speciebus addi poterunt baccæ sambuci exiccatæ, zedoaria, & galanga. Eodẽ vini spiritu extrahi poterit tinctura granorum actes, & cameactes; seu sambuci, & ebuli mirabiliter commendata: horum loco succedunt baccæ hederæ arboreæ, Kermes, iuniperi. Huc quoque mira faciunt trocisci de myrrha, cuius essentia spiritu vini cum alkali tam fixo, quàm volatili, v. g. spiritu salis armeniaci maritato extracta validè operatur. His succenturianda elyxir vterinum Crollij, succus stercoris equini, vel eiusdem extractum, theriaca, & alia theriacalia vini modico propinanda, quæ validiùs agunt addito modico castorei, vel spiritus theriacalis camphorati.

Non vbique omnia promptè inueniri queunt: quare hic Anconæ in casu Illustrissimæ Patientis hactenus præscripta extiterunt myrrha trociscata, castoreum, asa fętida, succinum, cranium humanum, vngula alcis, cornu ceruinum sine igne calcinatum, aut in salem redactum, cynnabarina, crystallus, oculi cancrorum, mater perlarum, mithridatiũ, laudanum Quercet. oleum amigd. dulc. aqua hysterica Q. theriacalis, florum aurantiorum, chamæmeli, melissæ. His

omnibus ferè ſemper acceſſerunt cardiaca, alba confectio hyacintina, magiſterium, & iuleb. perlarum, aqua borraginis, cordialis Saxoniæ, totius citrij, aliaq; huiuſce proſapiæ iuxta exigentiarum varietatem ore ſemper ingeſta. His adde fotus, & ſuffitus, linimenta, & clyſteres anodinos, & hyſterica cerata.

Extra paroxiſmum occurrit prophilaxis inſtitutio, à qua cauſarum pendet abſciſſio, & quoniam lympha pancreatica in hiſce affectibus multiplici culpatur vitio, multiplices etiam exhibet agendi ſcopos: ideoque quatenus craſſa, & viſcida inciſionem, & deterſionem, quatenus acida edulcorationē, & quia mole luxurians ſui imminutionem exigit. His vniuerſis explendis ſcopis ea omnia apprime congruunt, quæ pro ſedandis hyſtericis paroxiſmis hactenus exhibita fuerē, additis terebinthinatis, quin etiam temperatis diaphoreticis, quorum diutina exhibitione tum per diureſim, tum per diaphoreſim ſucci prauè fermentati ſatis ſuperque euertentur, ac diſcutientur: multò magis hæc medendi ratio commendari videtur, quando in Illuſtriſſima Patiente purgantium ope abſque maximo detrimento, ſæuarumque hyſtericarum paſſionum irritamento acidum in primis vijs nidulatum per aluum exturbari nequit. Nec quiſque forſan reformidet in caſu calidiorum vſum, cum et hæc in hiſce affectibus curandis ſuo potientur refrigerandi modo, acidū enim vitioſum, ac inde natas vitioſas efferueſcentias inculcando refrigerium inducūt: idem quoque præſtant coagulationes, ac ſanguinis ſtagnationes, à quibus vitioſæ pullulant efferueſcentiæ, abigendo. Dum ergo in hac ſcoporum ſerie primò exhibentur inciſio, abſterſio, & dulcificatio, quorum ſubſidio vitioſi ſucci diureſi, & diaphoreſi promptiſſimè diſponuntur, ab his inchoanda prophylaxis, quibus ſcopis apprimè congruit tinctura chalybis, ſucco pomorum paranda, additis aliquot guttulis ſpiritus tartari, & ſuper epoto conſueto, & aperiente iure magiſtrali: huic vtique præſcripto ineſt valida incidendi, detergendi, acidūq; abſorbendi poteſtas, à quo ſolo anno proximè elapſo Illuſtriſſima Patiens fuit optimè

timè sanitati restituta, & octo circiter mēsiū spatio sanè degit.

His succenturianda terebinthinata, neruinis, vterinis, absorbentibus, & cardiacis pro virium tutela adiectis, quibus non parum muliebri gonorrheæ etiam succurretur: formula hac arte concinnari poterit.

℞. terebinthinæ venetæ, aqua menthæ optimè lotæ dracm 1. salis volatilis succini gr. v. spiritus salis armeniaci, essentiæ castorei ā. gut. v. cum duplo pulu. ocul. cācr. præp. & vna parte magisterij perlarum fiat bolus, ad plures dies deuorandus. Formnla diaphoretici hęc, aut huic similis extrui licebit.

℞. radic. chinę min. incis. vnc. 1. s. ligni visci querni. sassafrasæ indicæ ā vnc. s. rasurę cornu ceruini dr. ij. infundantur in iuris veruecini non saliti, aut aquæ melissæ lib. vij. spatio 24. horarum: bulliant inde lento igne, quousque liquor tertia sui parte fuerit consumptus: de colatura bibat Illustrissima Patiens singulis diebus librā dimidiam in lecto additis semper aliquot guttulis alicuius elyxirij vterini, & præmisso bolo ex antimonij diaphoretici scrup. s. sal. volatil. C. C. gr. v. pulu. ex cynnabari natiua, ab Ignatio Thiermairio lib. 1. Schol. Medic. cap. 1. descripti gr. iij. & iulapio perlato in boli consistentiam redactis: deglutiatur bolus per horam ante decoctum propinandum. Post hæc, aut similia, reclusis obstructionibus, acidoque viscido satis superque retuso, vt Illustrissimæ Dominæ habitus carnosus aliquantulū reficiatur, lac summópere laudarē cum sale absynthiaco potandū & hæc de prophilaxi. Subnectēda diæta.

Naturalis alimenta appetit boni succi: austera, acida, salsa, concoctu, & fermentatu difficilia, sicut et fumo indurata angue peius fugienda. Potus caphea, & theæ optimus censendus, vinum tenue non improbandum: potus aqueus, & frigidus summè noxius in Illustrissima Domina, experientia teste obseruatur, & à Dolæo in hystericis affectibus summè damnatur.

Vitalis aerem optat temperatum athomis odorosis exutum.

Animalis motum, & quietem medioeritatis legibus conterminatam suadet. Somnus, & vigilia intra moderationis cancellos coerceantur: nimium protracti somni, & productę vigilię varias cumulant acidas cruditates prę spirituum dispendio. Animus sit hilaris, cum męrores graues, & animus meticulosus, consternatio ex inopinatis casibus hunc morbum facilè inferre possint, & ex quibus in Illustrissima Patiente potiorē arripuit occasionem. Excrementorum, & retentorum, in primis mensium imminutorum, & aluiconstipationis maxima habenda ratio: lunatis tributi iustus seruabitur cursus materierum anthystericarum, simul & aperientium, vt supra descriptarum, ope: aluinę retentioni excitandę hactenus summopere contulit oleum amigdalarum dulcium.



HYDRÆ MVLIEBRIS

Pars Secunda,

Arma selectiora pro hystericis superandis affectibus in ordinem disponens.



AC non inconsultò, sed vt vniuersis hystericis proficiatur, transferam hystericorum tum simplicium, tum compositorum velut paruam pharmacopæiam, & promptuarium, ex quo quisque cuilibet hysterico casui occurrens aptissimas tũ simplices materias, tum ex his selectiora composita, & magistralia aptè excerpere valebit. Hæc omnia ordinatis classibus disponam præmissa primùm vterinorum, ac hystericorum, eorumdemque agendi energiarum notione.

Medicamenta hysterica vel respiciunt membranosam vteri substantiam neruis maximè irrigatam, quo iure vterus summè assentitur cerebro, & systemati neruoso, & hæc dicuntur neruina cæphalica, vel respiciunt vias humorum occlusas, aperientia dicta, & per se nota; vel tertiò spectant ipsum sanguinem, & humores, & hæc vel sanguinis fermentationem, turgescentiam, & motum promouent, eiusdem crassitiem, & visciditatem corrigendo, emmenagoga, seu menses cientia indigitata: vel sanguinem, & humores circa vterum stagnantes, corruptos, & in vitiosos flatus, & myasmata degenerantes emendant, & hæc sunt balsamica, acidum absorbentia, resoluentia, discutientia, tum diuretica, tum diaphoretica, tum carminantia, seu anticolica, quorum omnium ordinatas series iam dabo.

Cæphalica neruina sunt radices pęoniæ, ireos florentinæ, gariophillatæ, angelicæ, dictami albi, pentaphili, tormentillæ, chinæ, acori veri.

folia

folia bettonicæ, camepithios, hyssopi, lauri, maioranæ, lauendulæ, rorismarini, ruthæ, saluiæ, serpilli.

Flores aurantiorum, bettonicæ, calendulæ, lauendulæ, liliorum conuallium, maioranæ, ocymi, summitates pæonię, primulæ veris, saluiæ, stæcados arabicæ, summitates tiliæ, tunicæ.

Semina basiliconis, coriandri præparati, pæoniæ.

Fructus baccarum lauri, iuniperi, citrum, aurantiorum.

Ligna aloes, buxi, guaiaci, iunip. rhodij, corili, visci querni.

Cortices cinnamomi, citri, macis.

Aromata cubebæ, cardamom. nux moschata, gariophilli.

Succi opobalsamum, stirax calamita in granis.

Resinæ thus, mastiche marina, succinū flauū, albū, ambra.

Animalium partes moschus, zibethum, cranium humanum, & præcipuè os triquetrum, vngula alcis, capræ, æquorum verrucæ, auium pennæ combustæ ad olfactum, & suffitum.

Ex mineralibus argentum, vtraque cynnabaris, natiua, & artificialis.

Ex præparatis species diacastorei, diambræ, diamosci dulcis, diāthos, diapæoniæ, diaxiloaloes, theriaca, mithridatium, aquę simplices, composita analhtina, apoplectica, hyrundinum, picarum dulcis, apoplectica Mynsichti, Rițterij, epileptica Langij, aqua vitæ mulierum, spiritus cerasorum nigrorum, liliorum conuallium, theriacalis camphoratus, secundinę humanæ, olea dictorum simplicium, essentia castorei, succini, elyxir cęphalicum Mynsichti, aqua vitæ Matthioli, alijsq; infinitis parabilibus combinanda.

Sanguinis motum promouent, & menses cient radices aristolochiæ rot. & longæ, asari, dictami albi, ireos, cyclaminis, chelidoniæ, schænanti, spicæ, gentianæ, bryoniæ, costi, rubiæ tinctorum, zedoariæ, acori, valerianæ, enulæ campanæ.

Folia arthemisiæ, melissæ, matricarię, pulegij, calendulæ, dictami cretensis, sabinæ, saturciæ, saluiæ, ruthæ, marrubij, calamenthi, menthastri, nepetæ, leuistici, chærefolij,

lij, maioranæ, abrotani, abſynthij, origani, lauri, mercurialis.

Flores maioranæ, ſummitates, & flores meliſſæ, tanaceti, lauendulæ, chamomeli, ſambuci, anethi, cheiri, leucoij, meliloti, ſpicæ nardi, ſchænanti, croci, roriſmarini, geniſtæ, iuli, ſeù catuli iuglandis.

Aromata antophilli, nux moſchata, cubebæ, cardamomum, grana paradiſi, cinnamomum, cannella, coſtus, macis, xiloaloes.

Semina nigellæ, petroſelini, paludapij, lupinorum, fæniculi, leuiſtici, carui, ſileris montani, naſturtij.

Ligna, & cortices aloes, citri, aurantiorum.

Gummata ammoniacum, bdellium, galbânum, ſagapenum, gummilacca, benzoe, thus.

Lacrymæ, & reſinæ terebinthina, myrrha.

Bituinina ſuccinum, ambra.

Ex animalibus zibethum, moſchus, caſtoreum, equi teſtes, ſplen bouis,

Mineralia ſtamnum, borax.

Præparata Tragea granorum actes. Quercet. ſpecies diaboracis Mynſichti, trociſci de myrrha Renodæi, pillulæ de caſtoreo, antidotus hyſterica maior, & minor; Aquæ ſtillatitiæ hyſterica Zuelferiana, aqua vitę alba mulierum, hyſterica Mynſichti, Dominarum eiuſdem. Ex chymicis offeruntur bezoardicum iouiale, ſal Iouis anglici; arthemiſiæ, matricariæ, ſuccini volatile, eſſentia moſchi ambrata, extractum calaminthæ, croci, hyſtericum maius, & minus Quercet. zedoariæ, ſplenis bouis. Oleum caſtorei, gariophillorum, cinnamomi, macis, myrrhæ, ſabinæ, ſuccini, & ex his balſama parata. Spiritus pulegij, ſecundinæ humanæ. Eſſentia arthemiſiæ, matricariæ, ſabinę, pulegij, caſtorei, croci, vterina Mynſichti.

Sanguinem, & humores corruptos, & putridos emendant balſamica amara, reſinoſa, gummoſa ex commemoratis, aloe, myrrha, ſcordium, aſa fętida, gummi galbanum, eſſentia ſuccini, myrrhæ, aſę fętidæ, elyxir vterinum Crollij, & ſimilia.

San-

Sanguinis acidum vitiosum absorbent crystallus præparata, lapides cancrorum, carpionum, lapis bezoar, ebur vstum, ossa animalium calcinata, perlæ, conchæ, vtraque cynnabaris, salia plantarum, tinctura tartari, antimonij tartarizata, terrea, corallia, alcalica, & similia, sed hic omne feriunt punctum chalybs & ex marte parata, acidos, austeros, & stypticos humores intimiùs absorbentia, & saturantia, crocus martis aperitiuus, tinctura martis succo pomorum parata, puluis cacheĉticus, & similia, parata absque acidis, his enim chalybs, & ex hoc concinnata si imbuantur, non amplius in corpore acidum absorbent; alkalicis verò, & porosis copulata, & concinnata magis, ac magis acidum imbibunt, austerosque humores dulcificant: qua de causa consultum mihi visum fuit aliquot hìc martiales præparationes traducere selectiores, & sine acidis extructas, quibus maximo cũ emolumento hystericas aduersùs affectiones vterinas, ac hypocondriacas obstructiones, & passiones ibitur.

CROCVS MARTIS APERITIVVS.

℞. limaturę martis subtilissimę q. s. irroretur aqua communi, & diebus canicularibus exponatur radijs solaribus, & sic intra paucos dies per excitatam efferuescentiam acidum, quo mars abundat, aquæ insinuatum, & ab accedente tepore solutum, & excitatum aggreditur corpus proprium, istudque soluit, ac corrodit in crocum. Quidã aquam simplicem acuunt cum sale absynthij fixo, & huic affundunt in loco tepido limaturã martis. Dominus Michael præparat hunc crocum lixiuio cinerum herbarum aperientium, hoc lixiuium affundit limaturæ martis, & redigit in crocum martis aperitiuum, ex quo præparatur puluis cacheĉticus egregius, vt sequitur.

℞. croci mart. sic lixiuiati vnc. ij. | cinnamomi acutissimi vnc. s.
radic. ari pręparatæ dr. iij. | sacchari modicum: misce, & fiat puluis, cuius dosis erit à scrup. s. ad dracm. 1. tempore matutino in iusculo, aut alio liquore conueniente propinãda.

VITRIOLVM MARTIS HERMAPHRODITICVM.

℞. Mineræ cupri lib. iij. Martis communis lib. I. Vitrioli vulgaris vnc. xiij. in minutissimum puluerem redactis affunditur aliquid aquæ communis: stent per diem, ac noctem, & aqua colorabitur. Aquam coloratam effunde, & recentem affunde, idque tamdiu, donec non ampliùs tingatur. Tincturas simul euapora ad cuticulam, & concrescet vitriolum optimum, ad vterinos affectus profligandos summopere laudandum. Dosis erit gr. I. cum alijs, vel cum solo sacchdaro in vehiculo congruo propinandum, & aliquandiu continuandum.

ESSENTIA MARTIS
Succo Pomorum exstracta.

℞. Limat. ♂ magnesiatę lib. s. Succi pomor. borsdorf. rec. express. q. s. Stent in digestione lenis caloris per tres dies, agitato sæpiùs vase, & bacillo ligneo liquore ipso. Post defundatur, vel filtretur liquor per linteum subtile. Nouus succus effundatur, digestione leni peracta, iterum quod tinctum, defundatur. Coniuncti impregnati succi exhalēt ad medietatem, & vltra. Vt ætatem ferat, ac penetrantior tinctura fiat.

℞. Essentiæ huius part. vij. Spiritus vini anisati part. ij. misce. Addi etiam potest seorsim spiritus cochleariæ pars vna. Dosis dr. I. ad dr. ij. cum aliquo congruo liquore.

ESSENTIA MARTIS TARTARIZATA.

℞. Lim. ♂ magnes. tart. ā. lib. s. Aquę fontis purę cāthar. viij. ix. x. Coque in lebete, vel cupula ferrea per sex, vel septem horas, ligneo bacillo nonnunquam agitando. Tunc nigrescit sensim liquor. Ablato igne, cum subsederit tartarus, liquor tinctus sensim aufertur: Noua aquæ affusio, & coctio repetitur. Liquores coniuncti arenæ calore exhalent

ad medietatem, quod remanet, in vitro adſeruatum ſalinum præſefert ſaporem. Doſis ſcru. s.

Sanguinis grumoſitatem reſoluunt oculi cancrorum, mumia, ſperma cæti, os de corde cerui, mandibulæ lucij piſcis, bezoardicum iouiale, antimoniata, ſalia volatilia, & quicquid acidum coagulans infringit, aromatica, reſinoſa, balſamica.

Humores circa vterum ſtagnantes diureſi diſcutiunt Radices apij, petroſelini, fęniculi, eringij, aſparagi, ononidis, ruſci, valerianæ, pimpinellæ, vrticæ, graminis, aſari, rubiæ, ſaxifragiæ.

Folia chærefolij, eupatorij aquatici, abſinthij, petroſelini, vrticæ, fragariæ, dauci cretenſis, ſaxifragiæ, virgæ aureæ.

Semina dauci, fęniculi, carui, cymini, aniſi, ammeos, ſeſeleos, amomi, chærefolij, milij ſolis, ſaxifragię, violarum, maluæ,, ſemina quatuor frigida maiora.

Fructus baccæ iuniperi, ebuli, ſambuci, alkekengi, nuclei perſicorum, amigdalarum amararum.

Lignum nephriticum.

Reſina terebinthina.

Oculi cancrorum.

Præparata ſalia ſtipitum fabarum, geniſtæ, iuniperi, ononidis, petroſelini, teſtarum ouorum, hęderæ terreſtris, ſuccini volatile, & quoduis ſal volatile ex varijs animalium partibus paratum. Oleum ſtillatitium iuniperi, terebinthinæ venetæ, ceræ Harthmanni. Tinctura tartari, baccarum alkekengi. Vinum maluaticum iuniperinum. Lixiuium tartari ad nigredinem calcinati, & ſimilia.

Diſcutientia diaphoretica ſunt Radices angelicæ, imperatoriæ, bardanæ, zedoariæ, carlinæ, fraxinellæ, gentianæ, chinæ, ſarſæ parillæ, contrahyeruæ.

Herbæ carduus benedictus, ſcabioſa, dictamus creticus, galanga, ſcordium.

Flores calendulæ, papau. erratici, ſambuci, citri, croci.

Semina aquilegiæ, card. benedicti, citri, baccæ iuniperi, ſambuci, lauri.

Ligna

Ligna ſaſſafras, iuniperinum, buxinum, guaiacinum.
Aromata nux moſchata.
Reſinæ myrrha, aſa dulcis.
Succi camphora, opium.
Ex animalibus lapis bezoar orientalis, de porco, lapis bilis humanæ, os de corde cerui, cornu ceruinum.
Præparata ſalia angelicæ, centaurij min. chamęmeli, cardui benedicti, ſcordij, cordis, & ſanguinis cornu cerui volatile, viperarum volatile, & fixum, antimonium diaphoreticum, bezoardicum minerale ſimplex, & compoſitum, ſolare, martiale, iouiale. Spiritus C. C., ligni guaiacini, baccarum iuniperi, ſambuci, vini camphoratus, theriacalis camphoratus, mixtura ſimplex. Tinctura bezoartica Michaelis, & alia huius cenſus.

Diſcutientia carminatiua, ſeu anticolica ſunt Radices angelicæ, ireos florentinę, helenij, trifolij aquatici, acori veri albi, rubri, zedoariæ.
Herbæ maiorana, anethum, mentha criſpa, hyſſopus, marrubium, origanum, polium montanum, ſerpillum, veronica.
Flores anethi, chamæmeli, ſambuci:
Cortices aurantiorum, citri, cinnamomi.
Semina anethi, aniſi, carui, dauci, cymini, fęniculi, petroſelini, ruthę.
Præparata puluis ãticolicus Dornercillij, theriaca, mithridatium, decoctum carminatiuum Auguſtanorum, vinum hipocraticum, & alia inferiùs recenſenda.

En, beneuole Lector, ſimplicium claſſes, quorum ope in hyſtericis affectibus contra itur humorum craſſitiem, viſciditatem, corruptelam, acidum vitioſum, & hinc aduersùs quãque humorum ſtagnationem, corruptos vapores, & flatus inde oriundos, quibus omnibus prauitatibus vrget ſuccus hyſtericus, qui præ acida auſteritate, & ponticitate non poteſt fieri, quin coaguletur, & coagulatus craſſeſcat, ac in viſcidum vertatur: hoc iure reſtagnat, obſtructiones parit, ſtagnans prauè fermentatur, corrumpitur, & in flatus, &

praua myaſmata efferatur, quomodo mille fęmineo ſexui affert turbas. Hæc vtique incidunt, dulcificant, & putredinem arcent, vitioſos ſuccos diureſi, ac diaphoreſi excutiunt, iuſtum fluidis, & menſibus circulum reſtituunt, flatus, halitus vitioſos acidòauſteros, ponticos reſoluunt, & abſumunt, vterum, cerebrum, aliaque viſcera viribus remuniunt. His purgantia ſi adijciantur, meliùs continget, cum hæc humoribus inertibus fermentando, præcipitando, ac pellendo motum promoueant, & per aluinam cloacam exturbent, adduntque otiantibus menſtruis calcar. His quoq; ſi occaſio tulerit, accedunt interdum vomitoria, quorum ſtimulo acidum viſcidum flatulentum, in ventriculo, & inteſtinis nidulans, terſum, inciſum, ac fermentatum exturbatur, ac ore foras amandatur. Hæc omnia iuxta ſymptomatum hyſtericorum exigentiam, & partiùm ab his affectarum varietatem ſunt ſimul miſcenda, alijſque ſana proportione maritanda: Quare affectis corde, & præcordijs cardiaca, affecto ventriculo ſtomathica, affectis inteſtinis anticolica, affecto cerebro neruina magis, aut minùs adnectenda. Sin dolores, & ſpaſmi, vt ſepè euenit, vrgeant, opiata adiungenda, & in hoc ſiſtit rectus eorumdem vſus. Ne tandem huic opuſculo deſint magiſtralia, ſatis concinnè extructa, praxique firmata, aliquot celebriora, & magis ebuccinata hùc traducere optimũ viſum fuit, vt hiſce edoctus quiſque promptus fiat iuxta hyſtericarum paſſionum capita multiplicia, & exigentias eadem vſui reuocare, aptioraque ſeligere, iungere, variaſque ſaluberrimas mixturas efformare. Sit ergo.

PRIMA CLASSIS
Aquarum ſtillatitiarum, quarum prima ſit.

℞. Radic. pęoniæ dracm. vj.
petaſitidis ã. vnc. s.
zedoariæ ã. dracm. v.
Baccarũ ſambuci exiccati,
dictami albi, vincetoxici,
bryonæ, leuiſtici,
Viſci ligni Quercini dr. iij. s.
Summit. roriſmarini ã. dr. x.

Fol. scariolæ, scordij, cardiacę ā. vnc. I.
cuscutæ dr. vj. Iulorũ, seu catulorũ ioglãd.
Costi odorati arabici. Myrrhę electę ā. dr. v.
Sem. raphani domest. vnc. s. Pastinacę sylu. dauci ā. dr. vj.
Scobis ligni buxi dr. v. Galbani dr. vij
Gariophillorum dr. ij s. Contusa, & conquassata irrorentur spirit. vini tartarizati q. s. Postea affundantur
Vini generosi albi lib. ij. s. Spiritus iuniperini lib. I. s.
Spiritus anthos lib. s. Digerãtur per dies 4. Adde
Succorum depurat. pulegij, saluiæ ā vnc. v.
calendul. ruthæ ā. vnc. x. matricarię, melissę ā. lib. I.
Macerentur rursus per dies sex. Hinc destilla rursum in alẽbico ad siccitatem in fine cum igne fortiori. Capitello autem, rostroque immitte, ac aquæ tandem destillatæ immerge.
Castorei vnc. I. s. Croci orientalis dr. ij. s.
Camphoræ scrup. iij. s. seruetur ad vsum.

SECVNDA SIT GNOFELII.

℞. Aquę melissę citr. arthemis. Aquę epilept. Lãgij ā. ũc. I.
hyrundinum compositæ, Flor. cheiri, cinnam. ā. ũc. s.
Spirit. sedatiui cõpos. ũc. I. s. melissæ citratæ dracm. ij.
Cõfect. man. christi perl. ũc. I Magist. perlarum. scrup. I.
corallorũ butyrosi dr. I. fiat aqua in paroxysmo, & extra paroxysmum præscribenda ab vno ad cochlearia duo singulis binis horis agitando semper prius vitrum.

TERTIA CVRATIVA, ET PRÆSERVATIVA.

℞. Matricariæ, calaminthæ, arthemisiæ, pulegij,
melissæ, sabinæ ā. man. I. Radic. valer. sylu. zedoar.
rubię, bryonię, ireos florẽt. raphani, dictami albi,
leuistici, croci ā vnc. I. Ligni guaiacini, sassafrasæ,
visci querni ā. vnc. ij. Bacc. laur. iunip. ebuli ā. ũc. ij
Cortic. citri, aurant. ā. vnc. s. Flor. cheiri m. I.

Sem.

Sem. ruthæ, anisi ã. vnc. s. Cardamomi ã. dracm. iij. Myrrhæ rubræ, castorci, Incisa, contusa S. A. destillentur in vini maluatici sufficienti quantitate.

QVARTA AQVA CÆPHALICA
Cardiacòhysterica, dicta analhtina.

℞. Thuris, masticis ã. vnc. i. Cinnamomi optimi ã. ũc. s. Flor. anthos, saluiæ, rosſ. sambuci, maioranæ, Granorum iuniperi, actes, Seminis anisi, fœniculi. Ligni aloes, Piperis longi, nucis mosch. basiliconis ã. lib. s. Baccarum lauri pæoniæ ã. vnc. ij. s. Santali citrin. ã. vnc. ij.

Pulucrizata omnia, & incisa infundantur in quatuor mensuris spiritus vini optimi per octiduum. Tunc destilla in B. M. Quod primò prodit seruetur ad internos vsus, deinde mutato recipiente reliquum destillabitur ad vsus externos.

QVINTA AQVA HYSTERICA ARNISÆI.

℞. Lyenis bouis, castrati, sani, & rubicundi num. i. Abluatur vino albo bis, vel ter, adspergatur
Pulueris aloes dracm. ij. Myrrhę dr. iij. succini dr. i s.
Macerentur in aceto pæoniæ, liliorum conuallium vnc. vj. per 4. dies. Tum

℞. Radic. leuistici, pæoniæ, bryoniæ ã. vnc. i.
Rasuræ ligni sancti, corilorum ã. dr. vj.
Herb. melissæ, arthemisiæ, rorism. calaminthæ ã. m. i.
Theriacę Andromachi ũc. ij. Castor. ũc. i. bacc. laur. ũc. s.
Flor. cheiri, lil. cõuall. ã. p. ij. Antidoti Matthioli vnc. iiij.
Incisa, & contusa affunde vini albi potentis lib. v.
Aquæ mercurialis, melissæ ã. lib. iij.
Stent in infusione per 4. dies, postea adde lyenem frustillatim infusum, & fiat destillatio in M. B. ad siccitatem.

SEXTA AQVA SINGVLARIS HYSTERICA CROLLII.

℞. Radic. dictami albi, Seminis dauci ā. vnc. 1.
Cinnamomi electi, Cassię lignee, melissę ā. scr. ij.
Croci orientalis scrup. 1. Castorei recētis scrup. 1. s.
Ex omnibus mixtis fiat puluis, cui affunde aque ruthę lib. ij. s. Stent per 4. dies in infusione: destillentur inde in M. B. & vsui seruetur. In huius aquæ cochleare vno gr. iij. sal. Iouis tepidè exhibeantur tribus, aut 4. diebus mane diluculo, ieiuno ventriculo per tres horas ante cybum.

SEPTIMA AQVA HYSTERICA Domini Michaelis.

℞. Herb. arthemisiæ m. iij. mercurialis, maiorane, salu.
pulegij, rorism. ā m. 1. Flor. calendulæ, hypericonis,
saluiæ, spicæ ā. pug. iij. cheiri m. 1. Radic. leuistici,
aristoloch. rot. rubiæ tinct. angelicæ ā. vnc. 1. s.
Baccarum lauri vnc. ij. Cassiæ ligneæ veræ vnc. 1. s.
Sem. leuistici, nasturtij, erucæ, melissæ ā. dr. ij:
Croci austriaci vnc. 1, s. Antophillorum vnc. 1. s.
Incisa, & contusa irrorentur hermaphroditico spiritu ex minera Martis, & Veneris, addantur splenum boum num. viij. Extrahantur spiritu melissæ, & pulegij.

OCTAVA SEDATIVVM VTERINVM GNOFELII.

℞. Theriacæ optimæ vnc. ij. Extracti castorei vnc. 1.
croci austriaci dr. ij. Spiritus sedatiui lib. 1. Fiat infusio, & post digestionem aliquot dierum aqua extracta, & per chartam emporeticam filtrata vsui adseruetur. Cui adhuc admisceri poterunt olei stillat. in spiritus vini tartarizati s. q. priùs dissoluti menthæ, carui ā. scrup. ij. misce. Dosis à scrup. 1. ad scrup. ij. in aqua aliqua hysterica, Datur ante, & in ipso paroxismo hysterico. Præseruationis causa sumitur singulis mensib. instante lunari effluuio.

NONA

NONA BALSAMVM
Embrionum Zuelferianum.

℞. Primo vere, & ſuccedente æſtate collectorum.

Flor. recẽt. lil. cõuall. lib. 1. s. tiliç, tuniçe ã vnc. viii. lauẽdulç, anthos cũ folijs, Fol. menthç recentium, maior. recen. ã. vnc. iiii. Cortic. aurantior. citri, ſeu cinnamom. opt. vnc. viij. cardamomi, cubebarum, Croci auſtriaci dracm. vj. coriandri vnc. 1. paralysis, violarum martial. aurantiorum dr. vj borrag bugl. ã. ũc. iiij. vel v. ſaluiç cum floribus recẽtiũ, Radic. rec. pçoniæ vnc. ij. flaued. limon. ã. vnc. v. Nuc. moſc. ũc. ij. macis ũc. 1. s. gariphyllorũ ã. vnc. 1. Sem. carui, fçniculi ã. vnc. s. Horum quçdam inciſa, & contuſa, nonnulla etiam integra, vt potè flores liliorum conuall. aurantiorum, Tuniçe immergantur in

Vini maluatici boni lib. x. fragarũ ardent. ã. lib. 1. 6. Spir. ceras. ardentis Aquæ flor. pçoniç, menthç, meliſſç, baſilici ã ſine additione per B. V. ſtillatarum lib. 1. Recondãtur in loco ſubterraneo ad plenam omnium collectionem, & infuſionem factam, tum deſtillantur per arenã, vel balneum vaporoſum ad ſpecierum ferè ſiccitatem. Aqua ſeruetur. Dari poteſt cum ſyrupo de cinnamomo, aut de cortic. citrij, aut iulebo gemmato ab vnc. s. ad dr. vj. In hyſtericis, lypothimia, ſyncope, & virium debilitate correptis cum alijs antihyſtericis ſummopere recreat, ſicuti in grauidis hyſterica affectione laborantibus.

DECIMA AQVA HYSTERICA
Zuuelferiana.

℞. Aquarum meliſſæ citratæ, matricariæ floreſcentis, roriſm. cerafor. nigr. ã. ſine additione B. V. ſtillat. lib. 1. s. Vini maluat. lib. ij. His mixtis immergãtur ſucceſſiue Radic. cyperi rot. zedoariæ ã. vnc. 1. s.

pæoniæ

Pæoniæ recenter, & debito tempore collectæ vnc. ij.

Herb. rec. basilici,
menthæ crispæ, pulegij,
summit. anethi vnc. ij.
saluiæ hortensis,
Cortic. aurāt. rec. extim. ūc. ij
coriādr. bacc. lauri ā. ūc. 1.
cinnam. optim. vnc. iij.
croc. or. castorei ā. dr. vj.
calaminthæ montanæ,
thymi ā. vnc. iij.
Flor. rec. bettonicæ,
cheiri ā. vnc. 1. s.
Sem. carui, fœniculi ā. ūc. 1. s.
Nucis moschatæ vnc. 1. s.
antophilli, macis ā. ūc. 1.

Facta maceratione breui, postquam omnia collecta sunt, destillentur per B. V. rostro alembici immissa croc. orient. dracm. s. Aqua prolecta seruetur in vitro benè clauso. Dosis à cochleare vno ad tria.

VNDECIMA AQVA

Hyrundinum Composita.

℞. Aquæ flor. lilior. conuall. pæoniæ, tiliæ, bettonicæ ā. sine additione aquæ simplicis destillat. lib. ij.

His aquis mixtis successu temporis immerguntur

Flor. rec. anthos cum folijs,
tunicæ, maioranæ,
Radic. pæoniæ vnc. iij.
cinnam. opt. ūc ij. macis,
castorei dracm. vj.
cheiri, paralysis,
ruthę, thymi ā. vnc. iiij.
Cardam. in capsulis ūc. 1. s.
cubebarū, coriādr. ā ūc. 1.

Collectis omnibus, & infusis fiat destillatio in B. V. ad siccitatem ferè specierum. Aqua in vitro bene clauso adseruetur. Iam verò accipe pullorū hyrundinum viuorū num. xxx. immittantur viui adhuc B. V. vel alembico vitreo, & statim apposito, agglutinatoque capitello vitreo, ac præposito recipiente, qui supra destillatam aquam adhuc contineat, fiat destillatio ad omnimodam pullorum hyrundinum exiccationem. Si species primæ destillationis in cinerē redigantur, & beneficio aquæ pluuialis exinde sal elicietur, hoc sal prædictæ aquæ priùs destillatæ si vniatur, fiet maximæ virtutis. Datur à duobus ad tria cochlearia.

DVODECIMA AQVA
Volucrum Anticpileptica, & Hyfterica.

℞. Pullor. hyrund. num. xv.
turturum num. ix. vel x.
ciconiarũ num. iij. vel iiij.
picarum num. vj. vel viij.
cornicum num. viij.

Hi pulli viui adhuc immergãtur B. V. & protinus aptato capitello, feu alembico, deftillentur in vas recipiens capitello arctè vnitum ad pullorum omnimodam ficcitatem. Aquæ ftillatæ, & egreffæ cuilibet libræ adde boracis venetæ dracm. ij. atque in vitro, cera, & veffica benè claufo ftudiosè interim adferua. Iam verò accipe pullos aridos à deftillatione relictos, eofque deplumatos, & conquaffatos, ac retortæ vitreæ immiffos, deftilla gradatim igne aperto, vel arenæ, vltimò violentiffimo igne, vt retorta candeat, in vas vitreum recipiens vfque ad pullorum combuftionem, humiditatifque radicalis expulfionem. Per acta deftillatione liquor egreffus vnà cum fale volatili, & oleo fœtido calore arenæ ad balnei per alẽbicum vitreũ, fat altum, aut longum, fuo capitello munitum, rectificetur (verùm faltem ad dimidias, vel paulò plùs, & quod in refiduo manet oleum fœtidum, & liquor reicijuntur) Hic liquor rectificatus, additis fpirit. cerafor. nigror. ardent. lib. s. aquę flor. aurantiorum vnc. viij. nucleorum perfic. ad pultis formam particula aquæ affufa contuforum vnc. 1. s. nucleorũ cerafor. nigror. cum partic. aquæ contuf. vnc. 1. cinnam. optimi vnc. 1. s. nucum mofchat. macis ã vnc. 1. denuò per alembicum vitreum igne arenæ deftilletur ad ficcitatem fpecierum fuperadditarum, & quidem in præmifsã ante à pullis deftillatam, & borace impregnatam aquam, quæ fic vnitæ aquæ fpirituofæ in vitro arctè claufo cum cautela adferuentur. Dofis à dracm. 1. ad duas, vel iij.

DECIMA TERTIA AQVA
Matthæi Martini.

℞. Fol. meliffæ odoratę dr. vj,
bettonicę, pulegij ã. m. 1. s.

calaminthæ, basilici,
matricariæ. pug. 1.
meu, angelicæ domest.
Seminis carui,
coriandr. præp. ã. dr. ij.
rhapontici dracm. ij. s.
gener.& actu calidi lib. iij.
chamedr. hyssopi ã. m. s.
Radic. pęonię, eringij,
syluestris ã. vnc. s.
sileris montani,
galangę, zedoar. ã. scr. iij.
Comminutis affunde vini
Stent in infusione per horas
nouem ad cineres calidos. Postea, vbi parum ebullierint in vase cooperto, destillentur in vase vitreo, & quæ primò exibit, aqua seruetur. Dosis à cochleare semi ad vnum.

DECIMA QVARTA AQVA

Hæmagoga chalybeata.

℞. Radic. aristoloch. vtriusq,
Cassiæ ligneæ ã. vnc. s.
lauri, verbenæ
Croci Mart. aperit. dr. ij.
Trocisc. de myrrha dr. 1. s.
Croci austriaci dracm. 1.
Salis arthemis. scrup. 1.
aquæ pulegij,
rubiæ tinctorum.
Flor. sabinæ, pulegij,
calendulæ, cheir. ã. m. s.
Spec. diarod. Abbatis dr. 1.
Fęcuię bryoniæ dracm. s.
Sal. sulph. scrup. s.
Incisa infundantur in
mercurialis ã. lib. s.
Vini maluat. lib. 1. per octo dies, postea S.A. destillentur.

DECIMA QVINTA AQVA VITÆ

Mulierum.

℞. Cinnam. acerrimi
gariophyllorum,
cubebar. cardam. ã. ũc. 1. s.
zedoariæ vnc. 1.
nucistæ, macis, zingib.
granorum paradisi,
piperis longi vnc. s.
Singula pulueriзentur seorsim, ac permisceantur; Hinc adde
Fol. Saluiæ min.
menthæ crispæ ã. m. s.
Affunde vini generosi mensuras tres: Macera vase clauso

per dies xiiij. Destilla in B. M. Dosis à dimidio ad vnum cochleare.

DECIMA SEXTA AQVA VITÆ

Mulierum aliter concinnanda.

℞. Cinnamomi electi, gariophyllorum,
nucis moschatæ, macis, cubebar. cardamomi,
granor. paradisi ā. ūc. I. s. galangæ vnc. s.
piperis lōg. zingib. ā. dr. ij. zedoariæ vnc. I.
Conscinde omnia minutim, & affunde sex mensuras vini boni: stent per octiduum in digestione: adde deinde
Herb. menthæ, melissæ, anthos, saluiæ ā. dr. vj.
Seminis fęniculi, anisorum ā. dr. v.
Conscinde, & contunde omnia, & commisce reliquis: iterum stent in digestione per tres dies, postea destilla, & serua pro vs.

CLASSIS SECVNDA

Elyxiriorum, & Essentiarum.

ELYXIR CROLLII IN ORDINE PRIMVM.

℞. Castorei lib. s. Croci austriaci vnc. ij.
Extrahe tincturam cuiusque seorsim cum spiritu vini, & separa spiritum ad remanentiā extractorum, quibus mixtis adde
Extracti arthemis. vnc. iiij. Salis Matris perl. dr. I.
Ol. stillat. arthemis. Angelicæ, anisi,
succini ā. scrup. ij. Digerantur omnia mixta per octiduum. Dosis à scrup. I. ad scrup. ij. ingruente hysterico paroxismo. Præscriptum singulis mensibus prope catameniorum fluxum præseruabit.

SE-

SECVNDVM ELYXIR HYSTERICVM.

℞. Spirit. ceraſ. ardent. vel iuniperini lib. 1. s.
Cui immerge Croci auſtriaci dracm. s.
Caſtorei dracm. v. Opij theb. præp. dracm. 1.
Eleoſacch. ſuccini dr. vj. Mota digerantur aliquãdiu: filtratum poſt elyxir vſui adſeruetur, quod cum ſyr. conueniente edulcorari, & gratius reddi poteſt.

TERTIVM ELYXIR VTERINVM.

℞. Caſtorei lib. s. Croci auſtr. ũc. ij. ſpirit. vini opt. & rectificatiſſimi lib. ij. Digerantur in vitro bene clauſo die vna, vel altera: poſtea in M. B. deſtillando euocetur ſpiritus totus, cui ſtatim immergantur
Ol. ſtillat. aniſi, angelicæ, ſuccini ã. dr. ij.
Quo facto mixtura ſeorſim ſeruetur. Deinde ex reſiduo caſtorei, & croci fiat modo ſolito ſpiritu vini, repetitis affuſionibus, & abſtractione in B. M. extractũ craſſum, quod de nouo, priùs vnc. vj. vel vij. ſpiritus vini rectificatiſſimi (vel illius, qui in abſtractione extracti primùm prodijt) vnà cum vnc. iiij. extracti arthemiſiæ non nihil diluti ſuperiori ſpiritui oleis permixto addatur ſimiliter ſal. matris perl. ũc. 1. In vltimo autem à caſtorei extracto abſtracti ſpiritus phlegmatici q. s. priùs diſſoluto addi debet. Quæ omnia artificiosè iuncta per ſeptimanam vnam, vel alteram tepidè digerantur, tandem colatis, filtratis Elyxir vſui adſeruetur.

QVARTVM ELYXIR VTERINVM.

℞. Herb. calaminthæ, arthemiſiæ, matricariæ, pulegij ã. m. 1.
Radic. bryoniæ, rub. tinct. zędoariæ, dictami albi, ireos florent. ã. vnc. ij.
Cinnam. antophilli, nuc. moſchat. zingiberis, cardam. bacc. lauri ã. ũc. 1.
Cortic. citri, aurãt. ã. dr. vj.
granor. paradiſi vnc. s. Sem. aniſi dracm. s.

basilic. gariophill. ā. dr. iij. Incisa, & contusa grosso modo infundantur in spiritus vini q. s. Adde salis tartari dr. ij. Stent in digestione. Colatura erit Elyxir vterinum menses mouens, & hystericam suffocationem corrigens. Datur à scrup. 1. ad dracm. 1.

QVIINTVM ELYXIR VTERINVM.

℞. Radic. imperatoriæ, angelicæ ā. vnc. 1.
Croci dracm. ij. pulegij sicci m. v.
Cinnamomi dracm. 1. Superfunde spiritus hysterici ad eminentiam aliquot digitorum: digere per tempus, tum filtra addendo
Sal. volat. succini vnc. s. Ol. angelicę, succin. ā. dr. iij.
Cinnamomi dracm. 1. Misce, & digere, vt exactè vniantur vase optimè clauso.

SEXTVM ELYXIR
Balsamum Embrionis Rolfincianum.

℞. *Summit.* saluiæ, melissæ citratæ.
arthemisiæ ā. m. 1. Radic. fœniculi,
dictami albi, pęoniæ cū cortice ā ūc. s.
zedoarię, galangę ā dr. iij. visci querni vnc. s.
C. C. crudi raspati vnc. iij. Cortic. citri dracm. iij.
cubebarum, zingib. albi, gariophill.
nucis moschatæ, cinnamomi, cardamomi,
macis ā. dracm. iij. Flor. primulæ veris,
rosar. pęoniæ ā. pug. vij. Incisa, & contusa infundantur in vini maluatici q. s. per dies septem lenissimo hypocausti calore. Colatura per linteum vsui seruetur.

SEPTIMVM ELYXIR EGREGIVM.

℞. Castor. consciss vnc. 1. Sal. tartari dracm. ij.
Alkool. vini vnc. iiij. Digerantur simul per tres
dies

dies, donec rubicundo colore spiritus tingatur. Spiritum tinctum è fęcibus effunde, deinde parumper subsideat per horas tres, vel quatuor, vt omnes fæces deponere possit: deinde tinctura clara effundatur. Dosis à gut. iiij. ad xx.

OCTAVVM ELYXIR VTERINVM Egregium.

℞. Herb. rorism. ruthę, lauendulę, maiorane, Sabinę ā m. ij pulegij, matric. ā m. i.
Radic. cyperi rot. leuistici ā vnc. s.
Ligni sassafrasę, Cortic. aurant. ā vnc. i.
Sem. dauci, leuistici, anisi ā dracm. vj.
cinnamomi dracm. ij. Spir. vini pot. pintas iiij.
Simul mixta, concisa, & contusa macerentur per xxiiij. horas. Deinde destillentur ad medias. Spiritum prolectum cum ā spir. vini pot. rec. & super easdem herbas rectifica, eandem operationem adhuc semel repetendo; deinde
℞. limat. mart. lib. i. Crem. tart. lib. i. s.
Aquę comm. lib. viij. Misce, coque simul, donec colore rubro liquor tinctus sit, liquorem filtra, & ad consistentiam syr. euapora, & vsui serua. Deinde
℞. Spiritus superioris partem tertiam, croci optimi vnc. s. Misce, & extrahatur eius tinctura. Secūdò ℞. spiritus superioris alteram tertiam partem, radicis cyperi rot. odoratę vnc. i. s. Misce, & extrahatur tinctura. Tertiò accipe spiritus superioris reliquam tertiam partem, extracti martis inspissati q. s. misce, & extrahatur tinctura. Tincturas omnes simul serua. Dosis ā dr. s. ad dr. ij: in omnibus vteri affectibus.

NONVM ELYXIR REGIVM.

℞. Moschi scrup. s. Zibethi gr. v.
Balsami peruuiani gut. xij. Ol. gariophill. gut. iiij.
Ligni rhodij gut. ij. Excipiantur omnia salis tartari dr. s. misce optimè, donec omnia vnita sint. Deinde adde spiritus vini rectificatissimi vnc. ij. Reponantur simul

in loco

in loco calido (vel in calore solis si tempus anni patiatur) ad digestionem per tres dies bis in die materiam agitando. Sic fiet essentia odoratissima, à fęcibus subsidentibus per inclinationem separandam.

DECIMVM ELYXIR
Sal volatile aromaticum liquidum.

℞. Cinnam. acuti vnc. 1.
Gariophillorum dracm ij.
fęniculi, croci ā dracm 1.
citri ā dracm. s.
Nucis moschatę vnc. s.
Sem. cardamomi,
Cortic. aurantiorum,
Incidantur, vel contundātur, & committantur cucurbitę vitreę, hisque adde.
Salis tart: vnc. ij.
armoniaci vnc. 1.
Spir. vini vulgaris lib. 1. vel vnc. xx. Digerantur lentissimo igne, quo diutiùs, eò meliùs.

VNDECIMVM ELYXIR
Sal volatile aromaticum liquidum extemporaneum.

℞. Spirit. vini optimè rectificati vnc. iiij. salis tartari vnc. s.
Ol. menthæ gut. xx.
gariophill. rorism.
iuniperi gut. x.
cortic. aurātiorū gut. xvj.
nuc. mosch. still. ā gut. viij
Misceantur olea cum sale tartari: postea spiritui vini puluis effundatur, optimè moueatur, & vltimò adde spiritum salis ammoniaci, & sic lactescet solutio. Digerantur simul per aliquot horas aliquoties materiā mouendo, donec clarus euadat liquor. Deinde à fęcibus, & phlegmate per decantationem separa, & vsui seruetur. Dosis à gut. x. ad xx. & xxx.

DVODECIMVM ELYXIR
Sal volatile oleosum vterinum.

℞. Ol. ruthæ gut. xx.
lauendulæ, rorism.
sabinæ gut. xxiiij.
thymi, iuniperi,

macis

macis ſtillat. ã. gut. viij. Excipiantur olea ſalis tartari ſufficienti quantitate, & miſceantur cum ſpiritu vini rectificato, & ſpiritus ſalis ammoniaci eadem quantitate præſcriptis, qua fuit præſcriptus in ſale volatili aromatico extemporaneo, & ſic lacteſcet ſolutio. Digerantur etiam ſimul per aliquot horas aliquoties materiam mouendo, donec clarus euadat liquor. Deinde à fęcibus, & phlegmate per decantationem ſepara, & vſui ſeruetur. Doſis eadem.

DECIMVM TERTIVM ELYXIR

Anodinum.

℞. Vitrioli lentè ad albed. calcin. vel in ſole, vel in fumo lib. 1. Nuc. moſch. croci ã dr. ij. Camphoræ dr. iiij. His ſuperfundantur ſpiritus vini optimi lib. v. Digerantur ſimul per dies tres, vel quatuor: deinde deſtillentur ad medias; fęces euaporentur leni igne ad ſiccitatem, & ſpiritus deſtillatus fęcibus denuo ſuperaffundatur. Deſtilletur, vt ante, donec pinta circiter vna ſuperſit.

℞. Huius ſpir. rectif. lib. 1. Opii præp. cum aqua deſtillata, & ad conſiſtentiam extracti euaporati vnc 1. Croci optimi vnc. s.
Nucis moſchatæ, Ligni aloes,
Cinnamomi ã dracm. vj. Camphoræ dracm. ij.
Santal. citrin. vnc. 1. Miſce, & digerantur ſimul, quo diutiùs, eò meliùs, ad minimum per duos dies. Doſis à gut. tribus ad xx.

DECIMVM QVARTVM ELYXIR

Eſſentia Caſtorei.

℞. Caſtor. opt. & rec. lib. s. Syr. vini rectif. lib. ij.
Fiat infuſio, caſtoreo conciſo, & poſt digeſtionem ſpiritus vini affuſi fiat abſtractio per M. B. ad priſtinam caſto-

rei ficcitatem. Spiritus abſtractus interim reſeruetur. Reſiduo caſtoreo affundatur acetum deſtillatum, & eo repetita affuſione extrahatur tinctura caſtorei tota, quæque denuo ad extracti ſpiſſitudinem per B.M. abſtrahatur. Relictum extractum caſtorei de nouo affundatur cum ſuperiori ab eo ante ipſius abſtractionem abſtracto vini ſpiritu: Digerantur per aliquot dies; filtretur poſtea eſſentia, vſuique adſeruetur. Doſis à ſcrup. s. ad ſcrup. 1. cum vehiculo conueniẽte.

DECIMVM QVINTVM ELYXIR

Eſſentia Opij.

℞. Opij q. v. ſcindatur in talleolas, & lento igne in platina terrea plani fundi exiccetur ſupra carbones viuos, caueto tibi ſedulò, ne opium empireuma fętidum contrahat, & fumus nares feriat. Exiccatione peracta.

℞. Huius opij calcin. vnc. 1. Sal. tart. puriſſ. tantundem. Miſceantur inter ſe, & terantur in mortario vitreo, ijſque in vitro commodè collocatis affunde ſpiritus vini vulgaris vnc. 6e. Digerantur per horas xxiiij. ita enim ſpiritus vini rubicundiſſimo tingetur colore. Hunc ſpiritum vini tinctum quinquies, vel ſepties, quò ſæpiùs, eò meliùs, per chartham emporeticam tranſcolato, & paratam habebis eſſentiam, elyxir, ſeu tincturam opij. Doſis in adultis à cochleare s. ad iij. vel iiij. & v.

DECIMVM SEXTVM ELYXIR

Eſſentia Splenis bouis.

℞. Splenem bouis, ſcinde in tenues laminas, & aliquot diebus macera ſpiritu vini cum mirrha eſſentificato, atque exicca in aere. Ex puluerato inde per ſpiritum vini extrahe eſſentiam, eique adde Olei Angelicæ aliquot guttas. Doſis erit ſcrup. 1.

DECIMVM SEPTIMVM ELYXIR
Essentia vterina.

℞. Galbani, castorei, Opij correcti, ā. ūc. ij.
Spir. sambuci, vini vtriusq; rectif. ā. ūc. xij
Misceantur probè, & in vitro bene clauso stent in digestione supra fornacem per octiduum, & diutiùs: extractio priùs bene trascolata vsui seruetur.

DECIMVM OCTAVVM ELYXIR
Tinctura hysterica.

℞. Mirrhæ electæ vnc. ij.
Radic. dictami albi,
aristol. rot.
galangæ ā vnc I.
arthemisiæ rubræ,
abrotani, bettonicæ,
Flor matricariæ,
cheiri, saluiæ,
Baccarum lauri,
leuistici, anthophilli,
Flor. nuc. mosch. dracm. v.
Camphoræ dracm. ij.
Spir. baccar. sambuci,
Castorei opt. vnc. I. s.
bryoniæ, pęoniæ,
calami aromatici,
Herb. Sabinæ, conizæ,
melissę, maioranæ,
calamīthę, nepethę ā. m. I.
nucis iuglandis,
rorismarini ā. pug. ij.
Seminis cumini,
cardam. cubeb. ā. dr. vj.
croci orient. dracm. iij.
Opij ritè parati dracm. I.
ebuli ā. lib. ij. s.

In puluerem redacta, contusa, & concisa, myrrha, castoreo, opio subtiliter pulueratis, camphora vitro minutim raspata, immittuntur omnia cucurbitæ vitreæ, deinde affundantur lib. iij. prædictorum spirituū, mutuò commixtorum: infundantur cucurbita bene clausa per dies, ac noctes tres. Postea destilletur lib. I. spiritus. Residuum fortiter exprimitur, & super ingredientia affundantur aliæ libræ duæ spiritus relicti, & libra spiritus destillati. Relinquantur in M, B. vt supra, ac inde destilletur media spiritus libra: residuum exprimatur, & expressio alteri expressioni iuncta diligenter filtretur, cui filtratæ adde solutionis matris perla-

rum factæ cum spiritu nitri vnc. ij.

Salis Iouis anglici vnc. 1.s.
cinnamomi ā. dracm. ij.
Sacch. albiss. vnc. viij.

Ol. succini rectif.
carui dracm. 1.

Saccharum in tenuem redigatur puluerem, rectè misceatur cum oleis, ac inde mixtum cum solutione matris perlarum, & sale Iouiali optimè miscetur tincturæ, quam sufficienti tempore circula in M. B. tepido, vsui seruetur.

CLASSIS TERTIA SPIRITVVM.

SPIRITVS PRIMVS CARMINATIVVS

Siluij.

℞. Radic. angelicæ dr. 1.
Flor. rorismarini
basiliconis,
Baccarum lauri dracm. iij.
anisi ā. vnc. s.
macis ā. dracm. 1.s.
gariophillorum,

imperat. galāgę ā. dr. 1.s.
maioranæ, ruthæ hort.
Summit. centaur. min. ā. m. s.
Sem. angelicę, leuistici,
Zingib. nuc. mosch.
Cinnamomi dracm. vj.
Cortic. aurant. ā. dracm. 1.

Concisis, & crassè contusis affunde spirit. vini maluatici, vel hispanici vnc. xxxx. Digerantur per biduum: hinc ad siccitatem destillentur. Quicquid ascenderit magmati iterum affundatur, per biduum digeratur, mox tres partes quartæ destillentur. Spiritus seruetur ad vsum.

SEECVNDVS SPIRITVS

Hystericus Sambuci.

℞. Cortic. med. sambuci ūc. 1.
aristoloch. rot. ā. dr. iij.
arthemisiæ rubræ,
fragariæ ā. m. s.

Radic. dictami albi.
Fol. sambuci sicci m. 1.
melissophilli,
Antheræ lil. alb. dr. ij.

Spon-

Spongiolę sãbuci mũdi n.iij Incisa infundantur in spiritus sambuci s. q. vt nimirum altitudine palmæ transuersæ supereminecat: stent in infusione per decem dies, quotidie bis agitato: postea destillentur in B. Dosis in paroxismo erit dimididum, vel integrum cochleare. Inungitur quoque eodem venter versùs vmbilicum fricando.

TERTIVS SPIRITVS

Hystericus.

℞. Gumm. galbani vnc. ij. asę fœtidæ vnc. I.
camphoræ dracm. I. s. castorei vnc. s.
Spir. vini rectif. vnc. xij. Digere, & destilla lento igne per arenam.

QVARTVS SPIRITVS

Sedatiuus simplex Gnofelij.

℞. Flor. liliorum conuall. rec. decerptorum q. s. spir. vini optimi cum floribus liliorum conualllium destillati, phlegmatis vitrioli ã vnc. xxxx. facta digestione horis xxiiij. destillentur per alembicum ex cineribus. Quod primò exit, seorsim excipiatur. Aquæ egressæ, & spirituosæ adde iterum phlegmatis vitrioli tantundem, & florum recentiũ liliorum conuallium q. s. Prægressa digestione, & maceratione per dies tres denuo per alembicum vitreum igne arenæ destillentur: labor hic tertia, & quarta vice sẽper cum æquali parte phlegmatis vitroli, & florum liliorum conuallium q. s. instituatur, quę sic vnita aqua spirituosa in vitro arctè clauso adseruetur. Epilepticis, hypocondriacis, hystericis, arthriticis confert. Dolores, & vigilias diutnrnas sedat. Dosis à dimidio cochlearis ad vnum in grato vehiculo.

QVIN-

QVINTVS SPIRITVS
Hystericòanodinus.

℞. Radic. valerianę, zedoarię ā. vnc. I. s.
Allij rec. dracm. vj. Cęparum vnc. I. s.
Herb. melissę. matric. menthę crispę.
pulegij rec. ā. vnc. ij. Castorei. myrrhę. ā. vnc. I.
galbani dracm. vj. Camphorę dracm. I.
Cinnamomi acuti. maceris ā. vnc. I.
gariophillorum vnc. iij. coriandrorum. vnc. s.
Crassiusculè incisa, & contusa infundantur in
Spir. iuniperini lib. ij. cerasorum nigr.
Aquę. flor. tilię ā. lib. I. Facta digestione diebus aliquot in alembico vitreo destillētur ad siccitatem specierum, capitello, eiusque rostro immissis, & spiritui tandem destillato immersis
croci austriaci dracm. I. castorei dracm. iij.
opij correcti dracm. I. Spiritus seruetur vsui, affectibus hystericis perquam vtilis.

SEXTVS SPIRITVS
Antihystericus.

℞. Castorei optimi, Asę fetidę ā. vnc. s.
Ol. succini dracm. I. ruthę scrup. I.
sabinę dracm. s. camphorę scrup. I.
Spir. vini rectif. vnc. x. Leniter simul digerantur, ac inde destillentur. Spiritum extractum fęcibus reaffunde addendo vnc. ij. spiritus c. c. cum sale volatili permisti: destilla denuo ad medias. Spiritus destillatus seruetur vsui.

SEPTIMVS SPIRITVS
Matricalis camphoratus

℞. Species alicuius aquę hystericę, vt puta Domini. Michelis, affun-

affunde ſpiritum vini ,digerantur , & deſtillentur. Secundò accipe camphorę , olei amigdalarum dulcium ã. libram vnã: miſce optimè, digerantur in B. M. vel cineribus per xiiij. dies, ac noctes, vt camphora totaliter cũ oleo coniungatur. Hinc ſuperaffunde prefatum ſpiritũ, rurſumque per aliquot dies, ac noctes digerantur. Sic ſpiritus extrahit eſſentiam camphorę. Tandem leni calore M. B. deſtilla vſque ad deſtillationem camphorę. In roſtro poni poſſunt grana chermes ruborem conciliantia. Doſis ã. gr. xx. ad xxx.

OCTAVVS SPIRITVS
Volatilis oleoſus aromaticus

℞. Cinnam. acuti, macis. flaued. aurant. citri ã. ũc.s.
Sal. armoniaci vnc. iiij. Simul contundantur, & confuſa immittantur in phialam vitream addendo ſalis tartari vnc. iiij. Agitentur omnia, & ſuper affundantur aquę florum aurantiorum vnc. iiij. ſpiritus vini relicti ab extractione ſalis volat.oleoſi aromat.(de quo inferiùs)vel ſpiritus vini ordinarij vnc. iiij. Exactè claudatur phiala, & fiat digeſtio abſq; igne quindecim dierum ſpatio, aliquoties phialam agitando: deinde transfunde omnia in cucurbitam vitream, cui aptato capitello, ac recipiente, iuncturiſque exactè lutatis, detur lentus arenę ignis,donec omnis extillauerit liquor, in phiala optimè clauſa ſeruandus. Vires erunt ſimiles facultatibus ſalis volatilis oleoſi aromatici. Doſis ã gut. vj. ad xx.

QVARTA CLASSIS

Vinorum, ac decoctorum vterinorum.

VINVM HYSTERICVM
Chalybeatum leniens.

℞. Herb. pulegij, meliſſæ, arthemiſ. ſabinæ ã. m. s.
verbenæ pug. ij. Fol. ſenę S. S. vnc. 1.
Radic.

Radic. rhab. drac. iij.
Seminis aniſorum,
Limat. chalybis vnc. I.
Bacc. lauri num. vj
calami aromat. ã. dr. s.
Aſari dr. ij. coſti dr. v.
fœniculi ã. dracm. ij.
Schęnanthi dracm. I.
Radic. zedoariæ,
Inciſa, & contuſa dentur ad nodulum, cui affunde vini veteris potentis q. s. & de eo capiat Aegra vnc. iij. ſemel, vel bis in die.

SECVNDVM VINVM

Hyſtericum.

℞. Radic. enulæ cāpanę dr. ij.
Fol. pulegij, maioranæ,
rubiæ tinct. ã. m. s.
Sem. dauci, leuiſtici ã. dr. ij.
maceris dracm. I.
galangæ, curcumę ã dr. I.
ſabinæ, arthemiſiæ,
Baccarum lauri,
Cinnam. acuti dr. iij.
Conciſa, & craſsè contuſa includantur in Sacculo, cui in cantharo lapideo affunde vini albi potentis, & veteris lib. ij. Stent per noctem in cella: bibant. in prandio, & cęna ad hauſtulum.

TERTIVM VINVM
Hyſtericòdiaphoreticum.

℞. Raſ. ligni guaiaci vnc. I.
Ligni ſaſſafraſæ vnc. I.
raphani ruſtic. ã. vnc. s.
matricar. menthę ã. m. s.
radic. cappar. ã. dr. ij.
lauri ã. dracm. I.
Cortic. eiuſdem vnc. s.
Radic. enulæ campanæ,
Herb. arthemiſiæ,
Cortic. tamariſci,
Baccarum iuniperi,
Sem. dauci, fœnic. ã. vnc. s.
Fiant ſpecies pro vino medicato.

QVARTVM VINVM
Hyſtericum.

℞. Radic. pęoniæ, maceris,
angelicę, valerian. ã. ũc. s.

Fol.

eiusdem minimarum particularum, & primùm alcalinarum, & acidarum mutuo motu pendet, & conseruatur. Localis fluidorum motus est eorundem per suos ductus, & canales translatio. Quinam ex his sistatur ab opij energia, sese offert enodandum. Intestinum, & fermentationis motum ab opio supprimi, & retardari, à nemine hactenus fuit assertum, & obstat exilis, & aliquot granorum dosis, qua opium, pręscribitur, vt inferiùs melius patebit. Superest igitur, motum solummodo localem fluidorum ab opio figi, aut eneruari. In hoc locali motu tria consideranda veniunt, ipse nimirum fluidorum motus, pars organica, à qua, & per quã instrumentaliter fluida mouentur, & spiritus impetum faciens, à quo principaliter omnis propullulat motus. Quoad motum localem fluida nullam patiuntur aptitudinem, qua ab opio cohibeantur, cum in motu locali se habeãt purè passiuè, & ductibus deferẽtibus, ac reuehẽtibus, nec nõ vrgentibus pareant, ita vt opium fluidorum motum detineat absque vlla in fluida ipsa actione. Respectu partium organicarum, à quibus, & per quas contenta deferuntur, hæc instrumentaliter sese habent, quatenus ex se ipsis mouendi principium non obtinent, sed ab aliena, & principalis agẽtis potentia, & ceu organa saltem moueri soleant, nec patet vestigium, quo dignoscatur, ab opio partes organicas immutari aut quoad suam mathematicomechanicam conformationem, aut quoad texturam materialem, ac inde natas qualitates, & temperamentum, sed de his pleniùs infra. Reliquum est igitur credere, sibique suadere, spiritus animales ab opio detineri, qui fibrarum motricium beneficio omnis in corporis æconomia localis motus primi existunt Authores, siue suprema rota, quæ alias rotas in corpore humano, velut artificiosissimo authomate, circumagit. Horum ergo quàmdiu viget impetus elasticus, fibrarum etiã motricium ritè fabricatarum tonus, ac inde dependens ad externorum obiectorum promptissimè recipiendam impressionem sensilem procliuitas, quàm continuus ad motum nixus, debito in robore vigebunt; at sufflaminato radioso

spiri-

ſpirituum influxu proportionaliter ceſſabit fibrarum tonus, remittet vnà ſenſilium facilis receptio, langueſcet fibrarum motiuus nixus, & hinc contentorum longè ſedatior, ac tardior ſuperueniet fluor. Refrænat hunc ſpirituum impetum, & ſegniores reddit eoſdem opium, ſicuti notiſſimi eius in noſtris corporibus affectus ſomnolentiæ, atquæ indolentiæ clariſſimè conteſtantur. Langueſcente igitur ſpirituum impetu flacceſcet vnà fibrarum ſenſibilium tonus, quo decidente nō æque validè ab abiecto licèt intenſiori fibræ vibrari poterunt, vnde nec ſpirituum ab elatere ſuo deflectentiū ſufficiens repercuſſio ad primum commune ſenſorium fieri, nec fibrarum motricium doloroſè commotarum ſuperueniens ſpaſmus ordinarius, ac conuulſiua tenſio procedere poterit. Sub hoc ſpirituum quaſi ſtupore ex opij poteſtate inducto & ſenſationes externas & motiones pariter locales tam partium ſolidarum, quàm contentorum in illarum alueis fluidorū remittere inſigniter neceſſe erit, hinc & doloroſæ conuulſiones ceſſant, & ſomnus, ſiue ad ſomnum propenſio illico accerſitur. Hac eadem hypotheſi ſicut opium quoſcumque humorum fluxus firmat, aut remoratur, è contra ſudores mouet, ſpiritibus enim animalibus narcoſi velut ſopitis nerueæ cutis fibræ, & glandularum ſubcutanearum tubuli excretorij fluidorum motus determinantes laxantur, aperiuntur, à quibus, & cutis poris recluſis, & hiſcentibus ſucci lymphici ſpontè fluunt, & extra traijciuntur ſub ſudorum ſpecimine; velut è riuulis antea occluſis, ac inde apertis ſponte ſua affluunt vndę.

Quo autem conatu ab opio ſpiritus animales ſiſtantur, & vbi opij energia in regionibus microcoſmi ad agendum inchoet, hìc altiùs, & breuiùs rimari reliquum mihi cenſeo. Malè penſitarunt Antiqui putantes, opium eſſe ſummè frigidum, & præ hac intenſa frigiditate humores denſare, craſſefacere, & hinc figere: oppoſitum vtique ſtatuerunt Recentiores ex opij amaritie, inflammabilitate, & odore ſulphureo, quique inuenerunt artificioſa analyſi, quòd in opio ſit copioſum ſal volatile acre oleoſum. Nullatenus

non

non quatenus calidum, frigidum, humidum, ſiccum figit opium, & ſtupefacit, ſicut nec vapores ad cerebrum ſubleuando, cerebriq; poros, vt admittantur, aperiendo, cum quàmplura, & innumera alia medicamenta calida, frigida, humida, ſicca vapores eliciant, ac poros cerebri recludere valeant, non tamen ſtupefaciunt. Vero ſimilius eſt, cum actiones inter contraria fiant, opium partibus potiri aduerſis texturæ ſpirituum, & cum hi ſint corpuſcula ſubtiliſſima, è ſpiritu, & ſale volatili ſimul iunctis, & ſummè exaltatis conflata, ſequitur, opium è ſulphure fętido cum ſale fixo, & materia terreſtri ſimul combinatis, & ad æfferationem euectis conſtare, cuiuſmodi concreta, ſatis notum eſt, ſubtili ſpirituum animalium naturæ tantùm aduerſari, & interdum ad inſtans per mera effluuia vix per odorem perceptibilia eoſdem profligare; opij verò particulæ intus ingeſtæ per ſanguinem, & ſuccum nerueum diffuſæ, vbicumque ſpiritibus animalibus occurrunt, eorundem quoſdam quaſi manipulos extinguunt, alioſque ab expanſione ſua repellunt, ac in cerebri meditullium ad otia retundunt.

Hiſce ſic exaratis adhuc remanent ſciri opiatorum explicandi modi. Particulæ ergo opiatorum paulò poſtquam aſſumuntur, in ſanguinem traditæ, & cum eo circulatæ iuxta cerebri corticem primis ſpirituum animalium copijs occurrunt, horumque plurimos, vt ait Villis, in extrema acie collocatos perimunt, & prorſus extinguunt: quapropter reliqui tenuiores facti, earumque emanatione cohibita versùs cerebri meditullium refugiunt, quo, ſubſidijs amiſſis, cæteri omnes ex ſenſorijs recedunt, à quibus recedentes quietē, & ſomnum inducunt. Multoties ab opiatorum ingeſtione abſque vlla interpoſita mora ſomnus accedit, quo in caſu firmiter credendum, ab opio ventriculi ſpiritus illico diſpergi, ac ſopiri, ex quorum cum ſpiritibus cerebri incolis commercio, & conſenſu his labes quoque affricatur, & hinc ijſdem partim conciſis, & partim in cerebri meditulliū ad otiandum retruſis, eorundem ad ſenſoria deficiente influxu, ſomnus illico conſequitur. Patent hinc loca præcipua,

pua, in quibus opiata ſuas poteſtates exercent, alijs licèt multis locis applicita toti animæ ſenſitiuæ, aut ſaltem eius portioni, quæ ſomni capax ſit, narcoſim quandam imprimāt: hinc lynimenta opiata fronti admota, enemata opiata per anum iniecta, denti cauo immiſſa, aut naribus intruſa, aut olfacta earundem partium ſpiritus incolas venenando, aut ſanguini circulanti ſeſe permiſcendo in cerebrum eorundem qualitate narcotica delata ſomnolentiam inducunt.

Præmiſſa hæc hypotheſis, ex cortice, non meditullio forſan inſpecta, præſtitit anxam in caſu Illuſtriſſimæ Patientis indiſcriminatim ſic arguendi: Opij narcoſis humórum, ex naturæ præſcripto excernendorum, fluxum cohibet, ergo ab eodem abſtinendum fuit in Illuſtriſſimæ Patientis imminuto menſtrui ſanguinis fluxu, non obſtantibus hyſtericis doloribus, alijſque ſymptomatibus, quæ forſan lunare effluuium ab opio magis eclypſatum, & fluor muliebris magis detentus augere, & fouere queunt. Hoc iure ſyllogizantur illi, quos latet opij operum contrariorum diſtinctio, quibus ex data hypoteſi quoſcunque fluxus, ſudore excepto, ſiſtere, & detentos reſerare opium eſt aptum natum: ſiſtit vtique o piū per ſe ſpiritus ſtupore ligando, & hinc fibris motricibus nocanter laxatis, & fluida intra vaſa, & tubulos non vrgentibus, quod accidit in primis, quando opiata notabili doſi præſcribuntur. Per accidens vias reſerat opium, quando nimirum ſpiritus leni ſopore vincit, quomodo impetuoſus remoratur ſpirituum motus, permiſſo eorundem iuſto in fibras motrices influxu, ex quo ææedem fibræ ſpaſmis conuulſæ aliqualiter laxatæ à ſpaſmis ſoluuntur, & fluidis antea retentis viam reparant. Siquidem in motibus, & doloribus conuulſiuis, opio leniſſima doſi præſcripto, deficiente ſpirituum impetuoſo influxu, & ijſdem in ordinatam aciem recollectis fibræ motrices iuſtam in laxitatem concidunt, nec ampliùs præ nimia tenſione, & criſpaturis vaſa comprimendo fluidorum iter remorantur, quinimo ipſis fluidis curſum reſtituunt, & viam recludunt. Ne aſſertio hæc perperam ſyllogizantibus videatur paradoxa, & meum inuentum, auſ-

cultent

cultento quæsô, quæ scribit doctissimus Ettmullerus differt. 13. cap. 3. vbi vim opij vomitum prouocandi, secessum, & vrinam promouendi, lochiorum fluxum adiuuandi perbellè docet: hic tantùm referam, quæ de opiatorum effectu in auferenda lochiorum stagnatione scriptũ hisce verbis reliquit: *Reuocant hæc in mentem istud phænomenon, quod persæpiùs in Puerperis obseruare datum fuit, dum nempè primis duobus, vel tribus diebus liberè fluunt lochia, quæ sub turgente in mammillis lacte sponte absque manifesta causa alia, siue præcesserit lactea febris, siue non, supprimi solent, tunc scilicet temporis, cum dolore, & tumore, simulque indurescere solent mammæ; sed cessante dolore, & vel insensibiliter aliorsum trãsacto lacte, vel sensibiliter per papillas transudante, liberè fluunt denuo lochia, nempe doloris occasione intensioris in sensibili illo mammarum globo & turbatur spirituum ordinatus motus, stringuntur vndique in corpore fibræ, & tenduntur simul vteri, eiusque membranosæ vaginæ fibrillæ, hinc excernendorum per hæc loca debitus supprimitur fluxus, qui largiter redit, simul ac cessante in mammis dolore cessat etiam fibrarum contractura. Nec est, quòd fluidorum istorum impetũ ex locis inferioribus ad mammas hic obijcere velis; siquidem, dum durat adhuc mammarum repletio, aut per papillas etiam lac excernitur, nihilominus modò illarum dolor remittat, redit lochiorum profluuium. Par nempè hic est ratio atque intensiorum post partum dolorum, quorum occasione etiam supprimi plus vna vice obseruaui lochia. Vnde vt memoratis in casibus (nisi in priori lactea febris obstet) opiata cæteris remedijs, speciatim mixturæ polycrestæ ex lapide cancrorum cum aceto addita myrrha permiscere fausto cum successu consueui, cuius vsu restituto spirituum motu in ordinem, & relaxatis hinc fibris, tantùm abfuit, vt suppressus inde fuerit purgamentorũ fluxus, vt auspicatò potiùs redierit.*

Tanti Viri systemati adhærens casui Illustrissimæ Dominę sedando, fluxuique menstruo ad vberiorem circulum reuocando quàm optimè, quàm scitè, & quàm vtiliter laudanũ hactenus fuisse applicitum non solùm tanti Viri iure phisico,

sed & experientia teste firmiter credendum, & pro certò habendum censeo. Et primò pluries obseruaui, & multò oculatiùs anno proximè elapso, quando decem circiter, aut duodecim dierum tractu summè vixit lancinata, menstruis guttatim erumpentibus, ob spasmos sæuissimos emulgendos (ipsa Illustrissima Domina instantissimè efflagitante, vt aliquod ei auxilium ferrem, aliàs se perituram asserente) à laudano ad bina grana cum cardiacis, antispasmodicis, & hystericis præscripto menstrua sibi debitũ cursum parasse, & hinc dolores, ac hystericas contracturas destitisse, quinimo post tantas lãcinationes satis in viribus vegetam superstitem restitasse fuit fassa. Ex hoc felici omine necessariò colligendum; laudani partim spiritus figentis ope, & hinc laxata vteri membranosa, ac ligamentosa substantia, à qua spasmodicè tensa fluidorum angustabantur vasa; & tubuli; & hinc menstrua detinebantur, & partim acido vitioso correcto, eiusque crassitie, ac visciditate anthystericis, & antispasmodicis discissa, fluidorum cursui fores reclusos superstitisse, & ope cardiacorum Illustrissimam Patientem in suis viribus ferè integris superfuisse.

Nescio, quo ducti imaginario sensu perperam syllogizantes summis laudani opiati laudibus detraxerint, nullâ phisica hypothesi asserentes, diutina laudani exhibitione sanguini crassitiem, fixitatem, & stagnationem impertiri. In hoc nugas venditarunt illis, quibus non datum fuit iatricę facultatis sensa capessere, quomodo caulibus, & non hominibus prædicarunt. Et primò gratis asseruerunt, Illustrissimæ Dominæ laudanum quotidie fuisse præscriptum, cum in doloribus solummodo consuetò immanioribus, & in quibus imminuit maior cordis, & præcordiorum oppressio, & angustia, præscriptum fuerit, & quotiès emulgens indicatio vrgentiam obtulit, totumque curandi nixum sibi adsciuit. A' laudano sanguinem incrassari, ac sisti nequaquam demonstrarunt, sed casu, ac insulsò protulerunt, & eos aduersùs sic arguo, & primò: Si laudanum humoribus crassitiem, & fixitatem impertiret, hoc ageret ob opium laudani structu-

ram

ram integrans, sed opium hoc sanguinem, & fluida incrassandi priuilegio per se non insignitur; ergo falsò syllogizantur: Minor patet ex hypothesibus adductis. Secundò praxis ipsa docet, in hystericis affectibus, ligatis ab opio paululum spiritibus ferocientibus, ac inde in ordinatam suorum motuum systasin remeantibus, non tantùm dolores, cæteraque hystericæ affectionis germina quiescere, aut sedari, sed & spiritibus iterum sanè irradiantibus vniuersam animalem œconomiam mox reuiuiscere; quod non tam citò contingeret, si opij, & opiatorum vsus sanguini crassitiem insulperet, cum crassities humorum longo egeat temporis dispendio, antequàm deleatur. Tertiò inspectum fuit, vt supra testatur doctissimus Etmullerus, pluries opium Puerperis exhibitum lochiales cursus restituisse, quod haud ageret opium, si crassitie sanguinem afficeret, imò eorundem stagnationi magis faueret. Hæc omnia verificantur in Illustrissima Patiente, quæ in tam diutina suarum ærumnarum periodo, quoties laudanum fuit ei præscriptum, remissis suis hystericis paroxismis alacriùs in motu, cæterisque peragẽdis actionibus prompta superfuit. Ex hisce cogimur fateri, opij, & opiatorum, & primùm paruissima mole præscriptorum energiam citò dissolui, & in spirituosam tantùm nostri corporis substantiã agere, nec in fluidis vllam crassitiem insulptam relinquere; quo iure nec ope crassitiei eorundem stagnationi manus vllas admouere queunt. Nec timeant insuper, aut suspicentur de crassitie fluidis à laudano imprimenda, & hinc eorundem oriunda stagnatione, quos vtrosque in Illustrissima Domina cohibuerunt effectus anthysterica, & antispasmodica vnà cum laudano semper præscripta, quorum balsamica, emolliente, ac tenuandi potestate laudani ab ipsis gratis conceptas crassefaciendi vires omnem deposuerunt conatum.

Præter in medium accersitas rationes infima, qua Illustrissimæ Patienti fuit laudanũ præscriptum, vnius, & rarò duorum granorum dosis, & in hac exilissima mole tres opij ritè in extractum redacti, & vna cardiacorum partes (quam mixtio-

mixtionis proportionem opium, & cardiaca seruant in compositione laudani Nepenthes Quercetani) quo hic Anconæ vtuntur, nec in fluida, nec in solida alteratione vllam inferre possunt; quinimo leui ligamine spiritus hactenus cohibuisse in Illustrissima Patiente euentus ipse testatur, cũ sępe laudanũ exhibitũ parũ lenierit, & perquàm raró fugauerit hysterica tormenta; ex quo deducitur, opium spiritus subtilissimos parum afficiens nulla vi fluida affecisse, aut afficere potuisse. *At obstat*, scripsit doctissimus Etmullerus cit. dissert. cap. 1. §. 7. *exilis ista aliquot saltem granorum dosis, quo minus crasin materialem illorum* (loquitur de contentis fluidis) *commutare, & consequenter dependentem ab illa intestinum motum sistere plùs, minus valeat*. Et §. x. subsequitur. *Considerandæ iam partes solidæ, quâ tales, an harum ex affectione ex opio suscepta, illæ in contentorum motu alterationes dependeant, cum ab his moueri liquida & modò §. 8. dictum sit, & experientia ipsa commonstret. Sed quo minus & harum respectu opium sistat contentorum lationes, patet non solùm ex parua ista dosi, quæ propinatur, quæ non sufficiens est, vt partes solidas tam notabiliter in suis functionibus motiuis cohibere queat, sed etiam ipsæ solidæ partes instrumentaliter se habent ad fluidorum motum, quatenus principium mouendi ex se ipsis non habent, sed ab aliena potentia, ceu organa saltem moueri & ipsæ soleant. Ad hæc, quâ ratione in eas agit opium, an ratione texturæ illarum materialis, & inde natarum multiplicium proprietatum sensualium, siue temperaturæ, an ratione conformationis suæ mathematicomechanicæ, ratione cuius in esse organico constituuntur? Non ratione huius, cum nullum immutatæ organizationis, seu conformationis ab opio inductæ innotescat vestigium: pariter atque in ipsa textura materiali, quà tali, & inde natis qualitatibus, temperaturaque ab opij vsu vlla immediatè facta mutatio haud apparere soleat*. Ab huius eximij Viri sententia nil distat magnus Pathologista Villisius in suæ pharmaceuticæ rational. sect. 17. cap. 1. vbi hæc loquitur: *Designatis iam opiatorum telis, per quæ effascinant, atque Dramatum locis, vbi primò, ac potissimùm operantur,*

modò

modò agendum sequitur de illorum actiuitatis sphæra, videlicet in quas nostri corporis particulas, aut partes, & quousque in illas vires suas extendant. Ex prædictis satis liquet, illa in spiritus animales agere; quæritur, an etiam in sanguinem, & alios humores? Certè quo minus sanguinem ab his vitiari existimem, huc in primis facit perexigua illorum dosis, à qua summè improbabile est, totam massam sanguineam venenari, aut corrumpi posse; deinde quòd à narcoticis, crebrò licèt adhibitis; nulla stygmata, aut exanthemata, quæ sanguini quocumque modo venenato supervenire solent, in cute, aut visceribus apparent. Et paulò infra Subdit. *Quoad alios humores spectat, profectò non est, vt iudicemus, opiata labem aliquam sero, aut liquori nerueo, aut denique succo nutritio affricare; adeo vt illorum virtus, ac energia tantummodo ad spiritus animales pertinere videatur.* Idem repetit part. 2. patholog. cap. 30. *Attamen si modus, & ratio, quibus opiata somnum, & quandoque torporem exitialem inducunt, inquiritur, dicendum erit, pharmaca hęc quoddam veneni genus esse spiritus animales afflatu suo pessundans, & quasi extinguens, sanguine interim, & partibus solidis pęne illæsis.*

Nec huic assertioni vim vllam inijciunt Corpuscula mole minima, actiuitate maxima, quæ ficuti maximorum morborum initia esse solent (qualia sunt venena; quæ minima mole perniciem vniuerso corpori minitantur, & contagia, quæ sub minimo, & imperceptibili myasmate vniuersam corporis ęconomiam turbant, & tam acutos morbos excitant continuos, febres malignas, quàm chronicos, scabiem, luem veneream, & similia) talia etiam è contra dantur medicamenta minima, à quibus magni, & insignes affectus pro Vniuersi salute dimanant, inter quæ opium videtur accenseri. Ratio quidem est, quia hæc mole minima, actiuitate maxima operantur saltē vel quatenus vi alteratiua, & plùs, minùs fermentatiua immutare contenta, vel acutissima sui textura irritare sensibilia solida possunt; quorum neutrum opio conuenit, quod non irritat, cum irritationis sensum potiùs tollat dolores sedando, & somnū inducendo, neque

fer-

fermentat, quia nullum talis effectus vestigium in corpore obseruabile, eiusque contentis est; adeoque ad agentia ista mole minima, actiuitate maxima referri nequit. Constat ergo vndequaque, opij vim hypnoticam sub exigua mole, & dosi circumscripti nec contentis, nec continentibus nostri corporis partibus suas inferre vires, sed tantùm impetum facientibus leuia inijcere ligamina, quo iure ligatis aliquot spirituum manipulis, & leniter hinc laxatis motricibus fibris quoscũque à spasmis præpeditos fluxus succis stagnantibus potiùs restituere potis est, quàm vlteriùs præpedire. Hoc eodem iure immanes hystericos paroxismos demulcet, ac mediocres sæpiùs tollit, quod amussim fuit inspectum in Illustrissima Patiente. Sed hic iterum malè syllogizantes retorquent asserentes, obseruationem ipsam digito indicasse in casu Illustrissimę Patientis ex laudano toties præscripto sensim defuisse menses, & hinc hystericos paroximos in spissiores, ac sæuiores abijsse, & fuisse prosequutos. Malè iterum, atque iterum syllogizantur, falsòque opinantur. Et primò Nemo dat, quod non habet, nec agit extra sphęram propriæ indolis, & actiuitatis: satis patet ex dictis, & assertis, opium nec in continentia nostri corporis vasa, nec in hisce contenta vllam exerere vim, aut actionem, nec vllam ijsdem imprimere alterationem, aut mutationem in crassitie, aut visciditate, aut vasorũ quomodolibet angustia pronata; quibus stagnationi fluida disponat: præterquamquòd laudani præscriptis balsamica, & salibus volatilibus fęta semper fuerunt addita. Causa igitur mensium deficientium non in laudanum toties præscriptum, verùm in aliud reijcienda, in acidum vtique vitiosum magis, ac magis in dies exuberans, coagulans, maiorique stagnationi disponens: huic adde Illustrissimæ Patientis inclinantem ætatem, qua cruor mole ex naturę decreto decrescit, crassescit magis, & hinc minori procedit stimulo, naturæ, vt ad expulsionem satis excitetur, inferendo. Sicut insuper Illustrissima Patiēs, postquam ab vsu chalybeæ tincturæ octo mensium spatio tranquillè vixit, absque vllo præcedente laudani præscri-
pto,

pto, ab acidi vitiosi fomite iterum perperam fermentato, & fermentante, in hystericos paroxismos fuit iterũ lapsa, pari iure ab eodẽ acido diutiùs, ac spissiùs perperam efferuescẽte spissiùs, ac diutiùs hysterici retorserũt, ac retorquẽt insultus. Ne terreat prauè syllogizantes à sæpiùs, & diutiùs præscripto laudano sibi præfixus virium lapsus. Experientia rerum magistra felices, ac optimos euentus, ab opio diutinè præscripto exceptos, cuiuis in memorię viam reducit. Excellentissimus Thomas de Rubeis felicis recordationis, Neapoli olim Archiatris adscriptus, & cuius sub duce praxi olim ipse studebam, nuptæ Filiæ quotidianis vteri doloribus, & hystericis affectibus afflictæ post annuas, & longè præscriptas reserantes, ac dulcificantes curationes, quibus nequaquam affectus remiserunt, quotidie vespertinis horis bina laudani grana eidem exhibere decreuit, emulgentique tantùm indicationi prospicere, quo iure quotidie immanes filiæ cruciatus leniendo ad integros annos in vita eandem sustinuit. Pisauri medicinam faciens Illustrissimum Dominum Germanũ de Ondedeis, adhuc agentẽ inter viuos, diutina, ac pertinaci dysenteria, qua octuagies circiter de die, ac toties de nocte flaua, crocea, porracea, viscida, ac serosa per aluum eijciebat, laborantem curaui, nulla dulcificantium, absorbentium, & incrassantium omissa præscriptione, quibus nil symptomate remittente, me, & Excellentissimo Curtio Tresano Fanensium Archiatro consulentibus, ad plures, & plures dies mane post prandium, & vesperi post cœnam laudani granum deglutiuit Illustrissimus Patiens, cuius ope paulatim vires, & somnum redipiscens decem dierum spatio à tam sæuo affectu solutus euasit. Me Aesij medicinam publicè exercente vniuersam Ciuitatem influxus irruit dysentericus malignæ ideæ, & creberrimæ deiectionis, qui intra paucos dies multos Patientes è medio tollere cæpit præ cita, & summa virium iactura, & nequitie, qua procedebat: cæteris medelis nil proficientibus omissis, vesperi post cœnam omnibus, & singulis bolum ex laudani granis duobus, & smaragd. præp. scrupulo concinnatum præscribere cæpi, cuius auxilij admi-

adminiculo tota nocte, Patientibus somno indulgentibus, quiescebat fluxus dysentericus, quàmuis accedente die denuò reuiuisceret, lentiore tamen, & tardiore gressu, quo iure liquores eiecti coctiores, & crassiores facti inspiciebantur, & intra paucos dies omnes in posterum euaserunt hoc solo medicamine, ad miraculum vsque operante. Ne fabas pro ciceribus venditare videar, celeberrimorum Authorum oracula meis addam obseruationibus, & primò Danielis Ludouici, cuius verba refert Theophilus Bonetus Medic Septētrional. lib. 1. sect. x. cap. 2. *Pthisicos desperatos ista accisorum opiatorum continuatione sub debita tamen diæta, expectorationumque, vel attemperantium alteratione per annum non vnum, sed complures satis hìc commodè seruatos allegare supernacaneum est. In alijs etiam complicatioribus quibusdam, aut conclamatis affectibus, si non integra restitutio, solamen tamen inde (cum nullum aliud sæpe esset) perfrequenter extitit, sæpe per tres, quatuor, sexue annos, euidentissimum, securissimum. Ceu nobilissima Matrona, cui ob neglectam exulcerationem intestinum rectum in vteri ceruicem, & vice versa patebat, perdiu sit sustentata est.* Nec vllum terreat virium languor, à dolorum sæuitie sæpe in hisce casibus accedens, spiritibus enim à laudano in sese recollectis, & dolore abeunte nouiter refectis, vires alacritatem, & copiam suam illico recuperant: hinc patet, laudanum ex indole sua cardiaca, & corroborante vi absque vlla alia additione potiri, qua de causa ad reficiendas vires à celeberrimis Iatricæ Professoribus promptissimam medicinam ipsum habuerunt ob opij sedandi energiam, qua ductus experientia clarissimus Etmullerus in Schroederi dilucidati Phitologia class. 2. n. 394. tit. Opiū de hoc hæc profert. *Et quidem in febribus continuis, benignis, & malignis pariter, & intermittentibus conuenit opium, quando adsunt inquietudines Aegri, & corporis iectigationes, & debilitatio virium, à quibus somnus, & sudor deficit.* Interim Philippus Grulingius in sui Florilegij part 10. cap. 11. n. 24. hæc de laudano scripta, & sculpta reliquit. *Denique quomodo quis*

diu qualicumque etiam morbo afflictus omni medicamentorum ordinationum genere in auxilium vocato non solùm solatij nihil percipit, sed et dolores, siuè continuos, siuè intermittentes acriores patitur, vnde humidi radicalis consumptio, calorisque natiui extinctio præmatura metuenda, tum laudanum iure merito languentium suffragium celebrarim. Sistit enim dolores, corroborat viscera, calidum natiuum tuetur, & multa alia felicissimè operatur. Huius assertionis exempla plurima memoratu digna in memoria habeo. Factum enim scio, vbi laudanum extremè languidis in agone præ doloribus constitutis exhibui, quòd citò meliùs habere, & sensibus restitutis bona dispensare, & denique cum ratione, & vera præcautione, quoque multorum Adstantium institutione se Deo commendando expirare potuerint. E contra accidit sæpe, vbi prædicta medicina destituimur. Quippe nullam aliam, quæ æquè pro salute hominis propugnat, huic substitui posse, ipsa experientia demonstrat. Quare quicunque sit Medicus, qui huius cognitione caret, omnem rudentem moueat, vt illud in tempore assequatur: & pœnam neglecti Deo, & Proximo debiti officij cautè declinet. Hæc Grulingius, qui laudanum sex granorum pondere vt plurimùm præscribit: Vedelius A. m. m. pag. 16. ait. *Notandum enim, & ipsa opiata plurimis nominibus esse vtero amica, sicubi dolores vrgeant, nerui irritentur, dissipandi sint humores, & resoluendi; id enim omne eximiè præstant, vt citra opiata vix feliciter mederi vterinis symptomatibus concessum sit.* Hic te animaduertere velim, scientissime Lector, à doctissimo Vedelio opiatis vim contribui soluendi, ac discutiendi humores non ratione opij, quod humores alterandi nulla potitur efficacia, at resoluentium, ac discutientiũ respectu, quibus opium in laudanis, alijsque opij magistralibus præparatis maritatur, quo de iure opiata menstrua prouocare queunt accisa dosi præscripta. Idem celebratissimus Scriptor de medic. facult. lib. 2. sect. 2. cap. 10. pag. mihi 204. hæc ait de opio: *Nullum ex anodinis illustrius est opio. Hoc omnium primum, & vltimum, quo solo, si nouerit legitimè vti, contentus esse potest Medicus.*

 Stat

Stat ſua laus aquis hypnoticis vegetabilibus, & ſulphuribus mineralibus, ſiue vitrioli, ſiue aliorum anodinis: nullum præcellentius eſt ipſo opio ritè parato, vnde non iniuria in genere Villiſius, & alij medicinam non carere poſſe hoc Nepenthe aſſerunt: in ſpecie verò Sylnius dicere ſolitus eſt, ſe malle non eſſe Medicum, quàm opio carere, & Platerus, referente id nobis B. Rolſincio, dixit aliquando per hyperbolem, ſe poſſe opio ſuo in vita ſeruare rota confractum, innuens, nullum dolorem eſſe, qui huic non cedat. Hinc adeoque opio tutò non ſolùm licet vti; ſed idipſum eſt perquàm neceſſarium.

Hic loci non poſſum, quin cum prælaudato Grulingio in cit. parte cap. 3. exclamem. *Mirum, atque iterum mirum, cur à quibuſdam Sciolis opij vſus intra corpus formidetur, cum laudanum opiatum, ab omnibus venenis, & impuritatibus liberum ſit, vt taceam præſtantiſſima corrigentia admixta. Id de officinalibus Veterum compoſitionibus, quas opium, & hyoſciami ſemen ingrediuntur, affirmari non poteſt, vt de philonio romano, perſico, tharſenſi, athanaſia magna, aurea alexandrina Nicolai, triphera,* Et quæ ſequuntur. Mihi contigit occaſio curandi cuiuſdam nobilis Patientis acutos vteri dolores multiplices hyſtericas paſſiones ſecum allicientes, quibus ſæuiſſimè retorquentibus, vno, aut altero laudani grano, cardiacis, hyſtericis, & neruinis adiectis, accurri: huic medicamini aliquando prorſum acquieuerunt dolores, aliquando paulò remiſerunt, aut ſaltem in acerbiores greſſus haud proceſſerunt. At quoniam in longæuis præter naturam affectibus Patientes, harūq; domeſtici affines, & conſanguinei tum ob deſiderium, quo citò affectus appetunt diſſolutionem, tum ob ſuſpectum, quo agitantur, ne Medici Domeſtici affectus cognitionis, & curationis punctum non attingāt, fuit alter Medicus acceſitus, qui in caſu falsò concipiens Vterum vlceribus, ac inflammatione affectum, cuius omne abfuerat, ac aderat indicium, & laudanum nobili Patienti pluries in anteceſſum præſcriptum detrectans, & perperam fuiſſe exhibitum Vulgo ſuadens, clyſteres iuſſit, ac in vterū intrudendas iniectiones ex lacte cum phylonio

lonio romano commendauit. Suis iussis mox executioni commissis dolores, & horũ comites hystericæ passiones tam sæuo, & longo horarum progressu excruciare iterum cæperunt, vt in ferè assiduò lancinantes abierint cum notabili fluoris muliebris, quo detinebatur ipsa Patiens, deficientia. Quare nobilis Patiens hisce clysteribus, ac iniectionibus dimissis à consuetis laudani bolis, velut ab anchora sacra nouas exegit suppetias, & ad longiora non horarum solummodo, sed & dierum interstitia extensas suas quietes relibauit, qua data quietis occasione chalybis tincturæ cum iure magistrali, aliàs maxima cum vtilitate libatæ, vsui reuocandæ animum applicuit, cuius ope, & interdum ex myrrha, asa fętida, & castoreo cum oleo succini repetitis bolis ad lõgiora dierum interualla quieuit, horisque paucis recidiuus affectus fuit lentibus progressus. Perarduum mihi visum fuit, quòd tam eximius Vir post laudani internè præscripti damnatum vsum (quomodo potestas narcotica à viscerum fermentis vlteriùs cicurata tutiùs, ac mirabiliùs operatur) hypnoticã phylonij, hyosciamum excipientis, solutiorem, magisque in stupefaciendo liberam energiam selegerit, & in vteri, proximorũque intestinorum tubulos intrudi deliberauit, quo iure phylonium iniectũ liberiore narcosi, nec à viscerum acidis ferm̃etis repercussa, non potuit fieri minus, quin in acerbiores, ac ferè perennantes spasmos nobilem Patientem duceret, prout duxit, & ratio, id fore vt contingeret, vtique dictauit. Lac vtique ab Vteri corrupto fermento, & acido vitioso in intestinis stabulante acescens, & perperam subactum, inque flatus acidos, & viscidos elatum vteri, & partium consentientium vellicationes, tensiones, & contracturas adauxit: validior opij, & hyosciami narcosis spiritus animales vteri, eiusque partium incolas inde fortiter ablegando, partimque pessundando tantam vasorum laxitatem accersiuit, vt liquores contenti, & gonorrhæę muliebris vitiosus succus in vteri vasis, & tubulis vberiùs restagnantes, ac immoti in vitiosam, & acriorem fermentationem exaltati longioribus, & quasi incessantibus spasmis vberiorem fomi-

tem congesserunt. Hoc pacto phylonium; tantum abfuit; vt dolores sedauerit, quin potiùs exaltauit.

De interno corporum acido vim narcoticam tundente aliquid annui, quod in Illustrissima Patiente dignum est, vt notetur, cum & ipsa nimia aciditate sit locuples, qua securior, & tutior ab opiatorum suspectis noxijs tantopere seruatur. Flatus, quibus ipsa exuberat, sæpeque ventre intumescit, sæpeque cum leuamine eructat, dubio procul germina sunt vitiosæ in duodeno efferuescentiæ inter nimium acidum pancreaticum, & succum biliosum concitatæ cũ phlegmate intestinali. Ab acido opium, & vim narcoticam infringi, patet ex succo limoniorum, aut ab aceto forti, quo sulphurem fętidum, cui inest vis narcotica, corrigi mos est, vt inde tutissimum eiusdem extractum nanciscantur: hinc deducendum, in corporibus acido refertis, affectuque præter naturam, qui ab acido vitioso pendet, laborantibus magis, ac magis opij, & opiatorum narcosim castrari, quod attentè obseruans doctissimus Etmullerus præcit. differt. cap. 2. §. 12. scriptum reliquit: *Accedit ex hoc, quòd ipsum propinatum opium necessariò quasdam plùs, minùs tamen in vijs primis subeat alterationes tàm in ventriculo, quàm in duodeno, vnde si non infrigi, certè non exaltari continget eius efficacia. Hinc enim quorum stomachus acidum digestiuum intensius spirat, minùs ab opio alterari solet, quia hoc magis subigitur, vel ab acido quasi castratur. Vnde nec adeo commodè opium quamuis humorum acrimoniam corrigere, vel infringere dicitur à Syluio lib. 1. prax. cap. 15. §. 26. 27. & 28. obstante exilitate doseos pro notabili adeo affectu, etiamsi repetitis quoque vicibus propinandum foret.* Quinimo hic laudatissimus Scriptor, in hisce corporibus crudum opium exhiberi posse, scribit, vbi sufficiens acidum inuenit in commentu Ludouiciano differt. prima in notis ad textum, vbi agitur de hypnoticis, anodinis, epiceraufticis num. 4. *Opium, ait, hodie vix, vt olim quidem Veteribus, in vsu est: interim in quibus acidum primarum viarum excessiuum offenditur, illis crudum commodè poterit dari, cum ab acido illo hoc castretur.*

tur. Hæc tam vera ſtatuo, atque confirmo, vt certè credã, Illuſtriſſimam Dominam ſæpe nullum leuamen à laudano excepiſſe non ſolùm ob pauciſſimam molem, qua fuit præſcriptum, ſed multò magis ob acidi exceſſum, quo ſuum ſcatet corpus, eiuſque hiſtericæ affectiones lancinant, opijque vires ſatis concidunt, & interdum omnimodè inculcantur. Sequitur ab hoc aſſerto, in Illuſtriſſima Domina opij exhibitionem tutiſſimam extitiſſe, opium licèt ſimplex, ac impræparatum propinaſſet, nec vllam ab eodem noxam reſpectu virium, & quauis alia ratione inſpecta imprimi potuiſſe ob acidum, narcoſim ſatis ſuperque retundens.

Ipſa tandem curandi methodus in caſu Illuſtriſſimæ Patientis laudani præſcribendi ſummam edocuit, ac edocet neceſſitatem. Methodi in agendo ordo expetit, vt in curandis præter naturam affectibus illi primò occurratur, quod magis vrget, cauſæque rationem ſubit, cæteris non neglectis, quando fieri poteſt. In hyſtericis Illuſtriſſimæ Dominæ paroxiſmis non ſemel, ac bis præter ſummam dolorum vrgentiam ſuperfuit completæ ſyncopis timor, & ſuffocationis metus, prout luce meridiana clarius digito demõſtrarunt pulſus tactui obſcuriſſimè patentes, & multoties ferè prorſus eclypſati, & valde coactus reſpirandi conatus. In ordine igitur agendorum hiſce vrgentibus ſyptomatibus ſedandis primò fuit occurrendum, in quem ſcopum explendum omnem reuoluit lapidem laudani nequaquam ſatis laudandi præſcriptio, ſummè potens in ſpaſmis abigendis, diſcutiendiſque flatibus, vnde præfata, ac vrgentia ſymptomata ſua trahunt natalia. Cætera haud omiſſa fuere, pro virium nempe roborc ſuſtinendo, acido inculcando, eiuſque craſſitie incidẽda, quibus ſcopis apprime præſtò fuerũt balſamica, abſorbentia, hyſterica, & cardiaca, modò in paroxiſmis cum, & ſine laudano, modò extra paroxiſmos abſque laudano diu præſcripta. Neminem etiam in Arte Sciolum latet, hyſtericos ſpaſmos, ac dolores ſpiritibus, & hinc viribus diſſoluendis eſſe promptiſſimos, quibus diu magis, ac magis concidentibus in extremum vitæ exitium Patientes corruunt:

quare

quare in hisce casibus vires saltem sustinendæ offeruntur, propter quas omnia Medicus operatur; & hoc assequi nequit absque symptomatum vrgentium lenitione, quæ indicatio tantùm vrget, vt, quando vrgentia symptomata spissò repetunt, causæ humorali corrigendæ, ac reuellendæ plena interdum, ac sufficiens non datur occasio. Quare vt saltem laborantium dies in longius trahantur, & vires sustineantur, symptomatum mulcimini multoties erit prorsus studendũ, quibus tandem sedatis, aut ad longiora temporis interualla ablegatis pleniore manu causæ excutiendæ prospiciendum. Hac vnquem rationali methodo Illustrissimam Dominã hactenus curaui, sæuissimos primò dolores, aliasq; spasmodicas affectiones (quibus liberè pergentibus Illustrissima Patiens viribus vtique consumpta tam diù durare vtique haud potuisset) retundere tentans, quietisque diebus causarum plenioré correctioné non despiciens, quoties data fuit occasio, vt inde ad longissima dierum interualla, & leuioribus aculeis retorquentibus doloribus, & spasmis causæ delendæ, & auerruncandæ saturiùs prospicerem, vt hactenus actum fuerat, & prosequebar cum magno Illustrissimæ Patientis emolumento, & tanta affectuum remissioné, vt postremò duodecim dierum spatio quieuerit, ex quo felici successu, & vlteriore curationis progressu fidem conceperam, qua Illustrissimam Dominam a suis ærumnis prorsus solutã forem inspecturus, quando, nescio, quæ nam opinio ab hoc fausto curationis opere ipsam distraxerit, cum bolos anthystericos, quos vesperi ingerebat, omiserit, chalybis tincturam cum iure magistrali tantùm prosecuta, ac inde ad lactis vsum se conuersit. Præfatis dimissis bolis, asa fœtida, myrrha, & dictamo cretensi conflatis, oleoq; succini subactis, austeræ aciditati frænum imponentibus, statim Illustrissima Patiens in sæuiores, & ferè quotidiè recidiuos dolores, ac spasmos fuit relapsa, nil pro his sedandis chalybe proficiente, nec lacte successiuè epoto, cuius vsui vberiorum flatuum prouentus insuper accessit.

Nec est, vt sine iure blaterent, laudanũ tam crebrò in hoc

casu non fuisse præscribendum: hoc dicunt, sed non probant. Et primùm verùm non est, laudanum tam crebrò fuisse præscriptum, vt supra dictum fuit, & constat apud Pharmacopolam: secundò methodus vtique docet, à præsentia indicantis indicari tempus indicati, & materiæ huic satisfacientis exhibendæ; ergo symptomati vrgenti, vtpotè vrgentibus doloribus, & spasmis tunc erit obuiam eundum, quando præsens est eorumdem vrgentia, & toties, quoties præsens fuerit sedandi, & emulgendi necessitas. Hoc dicitur methodicè mederi. Interim contraindicantia vulgo perperam suasa iam satis superque discussa, & perpetuum in exilium damnata fuere. Regrediens igitur, vnde discessi, huic resolutioni finem imponens, epilogismo repetam præstantissimas laudani vires, omnibus conuulsiuis affectibus leniendis præsentissimas: hoc siquidem parua, aut mediocri mole præscriptum, & spiritibus animalibus lenem soporem inijciens sicuti fibras motrices spasmodicè conuulsas leniter relaxat, & spasmodicas contracturas emulgens hystericas affectiones in sedatiores motus retrahit, aut õnimode sedat, pari penso sanguineis, ac lymphicis vasis, fibrisque motricibus compressis, & occlusis iustam restituit apertionem, ac temperatum spirituum permittit influxum, quo contentorum fluidorum cursus minimè remoratur, quinimo remoratũ recludit, nullam crassitiem, aut quamlibet aliam alterationem ipsis imprimens, qua remorentur, imò neruinis, ac hystericis connuptum eosdem incidit, & ad fluxum disponit, quare sæpe licèt prescriptum, tantùm abest, vt viribus insidietur, & menses detineat, quinimo ijsdem in alacriores, fluxiliores exaltandis summopere fauet.

QVÆRITVR SECVNDO,
An in tam vrgentibus doloribus conuenerint balnea paregorica.

Primò videtur, quòd sic, cum hęc medicamenta sua leni calefaciendi, & discutiendi virtute sint prędita, qua suc-
corum

corum vitioſorum diſſlationē per ad apertos poros, quos ſimul laxant, procurant, & oleoſa ſubſtantia calorem natiuū roborant, quo iure lymphę acidę viſciditatem, craſſitiem, & acorem infringunt, inque halitus reſoluunt; & per cutaneę peripherię poros, aliosque ductus educunt, quomodo dolores, & ſpaſmos ab acido vellicante, craſſo, & flatuoſo diſcuſſo in motricibus, & ſentientibus fibris ſuborti miteſcunt, & à ſua ſęuitie recedunt.

Quàmuis hęc ſatis patula prima fronte compareāt, nullatenus aliqua egent exceptione, qua neglecta huiuſmodi materię carminantium claſſi adſcriptę potiùs dolores augent, quàm tollant. Ratio deſumitur à proportione, qua agens ſuam ſanè exercet actionem in ſubiectum paſſiuum, cuius ſi moles, & quantitas exceſſerit, agentis poteſtas non ſatis alterabit, vt exinde eliciat affectum ſuum, cum in maiori quanto maior inſit reſiſtentia, quàm ab agente ſuperari queat. Pari paſſu, ſi quando materia viſcida nimia ponderauerit mole, paregorica vis ſatis ipſam haud rarefacit, vt in traſpirabiles halitus ſubigat, ſed eandem in craſſos, & flatulentos ſubleuat vapores, quomodo ab acido viſcido in ſubtilius, & pūgentius exaltato, & in craſſos, & copioſos flatus attenuato dolores, & ſpaſmi intenſiore conatu lācinando pergunt. In Illuſtriſſima Patiente acidis viſciditatibus exundante, nec purgantiū ipſam tantopere lędentium vſu vnquam ab ijs expiata, ſicut noxia fuit obſeruata fotuum anodinorum adminiſtratio, ex qua abdominis torſiones, ac dolores magis, & in longiùs inſęuierunt, multò maiores noxas ab eiuſdem indolis balneis imminere ſuſpicandum fuit, cum hęc in acidas viſciditates maiori agant colliquamento. Hinc ſanè loquitur Vedelius de ſimplic. medicam. facult. lib. 2. ſect. 2. cap. 4. n. 4. *Non conueniunt primò, ſi copia adeſt materiæ: tunc enim adhibita carminatiua, cum non poſſint illam diſcutere, attenuant potiùs craſſos, & frigidos humores, & in halitus eleuant, vnde ſępe dolores, & cruciatus augentur.* Videatur Ludouicus Septalius lib. 4. animaduers. *66.* & *67.* Prętereà a balneis anodinis non ſatis funduntur liquores

acidis;

acidis: hinc parum fusi vberiùs in vteri vasa delabuntur, vbi diutina stagnatione acroacidiores facti longioribus, & sęuioribus spasmis acciendis promptiores fiunt, quod sole clarius tum ab anodinorũ fotibus, tum à narcoticis clysteribus, & iniectionibus Illustrissimæ Dominę accidisse fuit inspectum: quare necessitas coegit ab ijsdem abstinere, quo facto mox remiserunt dolores.

QVÆRITVR TERTIO',
An in casu Illustrissimę Patientis sanguinis missioni locus extiterit.

VT huic apprime satisfiat quęsito, sunt primò recensendi sanguinis missionis effectus, ac inde indicationum series ab hoc auxilij genere suppeditata, & demum ea in medium afferre, quę idem renuere, aut restringere valent. Et, vt meliùs pergat assertio, eas primùm referam, quas natura spontè solet cruentas excretiones concitare, vt ex his excerpto exemplo pateat, quantum conferat eadem sanguinis excretio à Iatrice tentata.

Hęmorrhagię spontaneę quę phlebotomię vsum suggerunt, alię sunt criticę natura aliquid bonum, & salutiferũ emoliente, alię symptomaticę, quę vt plurimùm, hac à suo regimine deiecta, omnia susque, deque habente, contingũt. Cruentę hęmorrhagię criticę vel sine febre excitantur, & sunt vel periodicę, quę statis sępe temporibus eueniunt, vt catameniorum apertiones solemnes, aut aliàs assuetę; vel sunt vagę, & incertę, vt cum sanguis ab hisce, aut alijs locis non incõmodè erumpit, prout sępe accidit in febribus, quas tales sanguinis cryses non raró iudicant. In singulis hisce casibus diffluit sanguis, quatenus intra vasa turgens, & supra modum rarefactus ampliore eget spatio: quapropter, ni portio quędam abscędit, tota statim massa constipari, eiusque tum motus inhiberi, tum accensio suffocari, & crasis peruerti periclitantur. Duabus de causis sãguis intra vasa turget, quia videlicet & inflammabilis, &

 fermen-

fermentatiuus existit, quo iure valde rarefit, & in compage laxatur, ita vt sulphur nimis solutũ in maiori copia accendatur, ex quo ad nitrum aereum hauriendum respiratio creberrima, & laboriosa succedit; quare si sulphur exuberans effllagrando absumi, flammaque vitalis regulari nequit, necesse est sulphurei pabuli imminutio, aut spontè, aut arte faciunda, vt sanguinis rarefacti portio foras erumpat, & sanguinis circulo remora tollatur. Quatenus secundò sanguis est liquor fermentatiuus, è vasis quandoque diffluit, si quando aliquod ætherogeneum, & non miscibile eius latici confunditur, tunc enim, instar vini in dolio efferuescentis, in vasis ad incongruum illud excludendum bullit, quod si subigere nequit, neque per diaphoresim, diuresim, aut aliàs exterminare possit, ipse cruor sui portionem, quasi vehiculum pro materia isthac prorsus ablegaunda, qua data via excludit.

Criticæ hæmorrhagiæ pluries transeunt in symptomaticas: Et primò quando sanguis inter efferuescendum effluens modum nescit, & nimis exundat. Secundò quando vasorum ora semel aperta non statim conniuent. Tertiò quando natura per loca magis patentia, vt puta per pulmones, intestina, renes, aliaque viscera trudit. Quartò pari iure hæ hæmorrhagiæ symptomaticæ accedunt ob alia naturæ delicta, & impedimenta, aut culpa ipsius sanguinis, aut vasorum sanguinem continentium, aut vtrumque simul. Culpa ipsius sanguinis eueniunt, quando eius latex aut nimium venenatus, aut taliter corruptus debitam mixtionem seruare nequit, quin ad coagulandum, aut putrescendum aptus in partes secedit, quarum, dum aliæ hic illic defixæ maculas, exanthemata, cæteraquæ malignitatis stigmata accientes, cutim, & carnes discolorant, propriosque ductus obstruunt, aliæ aliàs excurrentes, & qua data via erumpentes, varijs in locis cruentas excretiones efficiunt. Causa sanguiferorum ductuum multipliciter eueniunt symptomaticæ, & primò quando vasa obstruuntur, sanguis rapidiùs mouetur, aut ibidem, aut in vicinia, quàcunque item in partibus longinquis

quis erumpere cogitur, quomodo multoties hæmoptoe procedit, & catameniorum, aut hæmorroidum suppressioni sanguinis sputum, aut narium hæmorrhagia succedit: Secundò quando vasorum oscula ob fibras carneas, quibus stipantur, laxatas, & resolutas sæpe malè conformantur, ita cum arteriarum fines nimis dehiscant, & venarum oscula conniuent, sanguis effunditur: Tertiò tandem vasa sic malè conformata contingit etiam spasmodicè affici, ita vt vasorum fibræ musculares inordinatè contractæ sanguinem violenter sursum, deorsum vrgeant, ac interim illorum osculis inde patentibus, hæmorrhagias immanes concitāt. Si tandem hæ causæ complicentur, & vitia sanguinis, & vasorum vnà simul coeant, crebriores, & immaniores contingunt hæmorrhagiæ.

Ars Naturæ Simia, interdum magistra, aut Moderatrix phlebotomiam instituit, aliosque sanguinis excernendi modulos, quibus aliquando naturam imitatur, & non rarò eandem præcellit, ac præuaricantem in viam reducit. Et primùm in quibus affectibus spontaneæ hæmorrhagiæ iuuamen conferre solent, si quando hæ deficiunt, Medicina Naturæ pedissequa rectè phlebotomiam substituit, qua si fortè sanguis ob eius sulphur solutum, & supramodum exaltatum accenditur, vena secta pabuli huius inflammabilis, quod superfluum est, effluit, ac inde remittitur incendium. Consimili iure sanguis ob aliquod indomabile ei confusum ebulliens, eius aliqua portione arte foras amandata, sedatur. Iatrice errabundam naturam in viam reducit, quando sanguis velut orgasmo percitus rapitur in aliquod nobile viscus, aut aliam quamcumque partem, ibidemque aut statim inordinatè erumpit, aut affatim aggestus inflammationem parit, hoc in casu vena in loco remoto pertusa erroneus hic motus retrahitur, immodica eruptio sistitur, & phlogosis inhibetur. His non obstantibus Arti naturam imitari non semper licitum sit; quare si in peste, variolis, & morbillis eruptis, aut malignis febribus sanguis spontè effluat, quod plerumque viribus absumendis præiudicando malum portendit, potiùs

sistentibus cohibendus, quàm sanguinis missione adiuuandus. Idem agendum cogita in omnibus casibus, in quibus vires sunt satis concisæ, aut earundem ab emissione sanguinis imminens lapsus suspicari fas erit. In febribus soluendis è contra plùs natura, cui præcisè tempus certum patet, hæmorrhagias excitare sapit, quàm Medicus, quem præcisum humorum febrilium coctionis momentum latet. Longè pręstat catameniorum, & hæmorroidum fluxus naturæ instinctu promotus, quàm sanguinis missio in his locis ab arte prouocata.

Ab exaratis facile erit colligere, quot modis sanguinis missio cruorem alterare queat, & hinc quot indicationes vsui præstet Medico. Primum quod attinet, ex dictis patulum fit, sanguinis eductione massam sanguineam tripliciter alterari, quoad quantitatem, seu plethoram, quoad crasim, & quoad motum. Priori effectui respondet indicatio euacuatoria, seu imminuēs, secundo congruit indicatio euentilatoria, postremo congruit indicatio reuulsoria, & deriuatoria. Per primam indicationem demonstrata sanguinis missio plethoriam soluit, præfocationem, vasorum rupturas, aliaque damna præcauet sanum sanguini circulum præ mole remoratum restituens. Per alteram indicationem sæpe sanguinis mixtionem, & temperiem phlebotomia emendare solet, primum operatur, quando aliquod improportionatum, & impermiscibile cruori immiscetur, ipsumque ebullire facit; secundū operatur, quando sanguis à sua temperie desciscens sulphure, aut sale fixo, aut vtrisque exaltatis, & hinc acrior, salsior, aut salino sulphureus factus in suam reuertitur crasim, cruoris enim portione detracta noua eius fermentatio statim oritur, ac eius particularum talis fit methatesis, vt deinceps spiritus cum sale volatili paulò resipiscant, sulphure, & sale fixo sub iugo remissis, quomodo sanguinis missio non in febribus tantùm, at in multis alijs præter naturam affectibus saluberrimos promouet effectus. Per postremam indicationem sanguine misso huius motus anomaliæ, & irregularitates in ordinatos gressus reuehuntur, quippe vasis inani-

